BIBLIOTECA VITT. EMANUELE
FONDO EBORENSE
36
13 B
17

R
I
42

292

1

36.13.B.17

~~1.4.0.A.21.1~~
6.3.C.12

M. TERENTII

VARRONIS

PARS LIBRORVM QVATTVOR ET VIGINTI DE LINGVA LATINA.

*

M. Vertranius Maurus recenſuit.

Additis Indicibus fidiſsimis & ampliſsimis.

VIRTVTE DVCE, COMITE FORTVNA.

LVGDVNI,

APVD HÆREDES SEB. GRYPHII.

1563.

Cum Priuilegio Regis.

56 13. B 17

Priuilegij ſententia.

CAROLVS nonus Galliarum potentiſsimus atque inuictiſsimus Imperator priuata lege ſanxit, nequis typographus bibliopoláue hos M. Terentij Varronis de lingua Latina libros cum cenſura & notis M. Vertranij Mauri, ante annos decem, à die primæ editionis numerandos, præter Franciſcam Miralletiam, & Antonium Gryphium Typographum bibliopolámque Lugdunenſem imprimat, néue alibi impreſſos diuendat. Qui ſecus faxit, pœnis ex ſanctione multabitur. Datæ autem literæ ſunt. IIII. Idus Ianuarij M. D. LXI.

M. TERENTII VARRONIS DE LINGVA Latina ad P. Septimium Liber primus.

*

Aggulus, aggens, agguilla, iggerunt. in eiuſmodi Græci & Actius noſter binam G ſcribunt: alij N & G, quod in hoc ueritatem facile uidere non eſt. Similiter agceps & agcora. Ex Priſcia libro 1.

*

Idem Varro dixit hoc libro: nec k, nec q, neque h, in numero literarum. *Ex eodem.*

*

L. Aelius noſter literis ornatiſſimus memoria noſtra errauit aliquoties. Nam aliquot uerborum antiquorum Græcorum, perinde atque eſſent propria noſtra, reddidit cauſſas falſas. Non enim leporem dicimus ut ait, quod eſt leuipes, ſed quod eſt uocabulum antiquum Græcum. Multa enim uetera illorum ignorantur, quod pro iis, aliis nunc uocabulis utantur: & illum eſſe plerique ignorent Græcum, quem nunc nominant ἕλληνα: puteum eſſe quod uocant φρέαρ: leporem quod λαγωὸν dicunt. In quo non modò L. Aelij ingenium non reprehendò, ſed induſtriam laudo. Succeſſum enim fortuna, experientiam laus ſequitur. Ex Agellio lib. 1. cap. 17. iuxta fidem ueterum librorum.

*

Idem Varro in poſteriore huius libri parte dicit, furem ex eo dictum, quod veteres Romani furuum atrum appellauerint: & fures per noctem, quæ atra ſit, facilius furentur.

M. TERENTII VARR. DE LINGVA LATINA

ad P. Septimium Liber ſecundus.

*

M. TERENTII VARR. DE LINGVA LATINA Ad P. Septimium Liber tertius.

*

Fenerator à fenore eſt cognominatus, fenus autem dictum à fetu, & quaſi à fetura quadam pecuniæ parientis, atque increſcentis. & idcirco, & M. Cato & ceteri ætatis eius, feneratorem ſine A litera pronuntiarunt, ſicuti fetus ipſe, & fecunditas, appellata. Ex Agellio libro XVI capite 12. & ex Nonio Marcello.

*

Vtrumque mulieres, & epicrocum uiri quoque habitarunt. Ex Nonio Marcello.

*

M. TERENTII VARR.

DE LINGVA LATINA,

& verborum origine ad M. Tullium Ciceronem, Liber quartus.

Q VEMADMODVM *uocabula eſſent impoſita rebus in lingua* Latina, *ſex libris exponere inſtitui.* De *his treis ante hunc feci, quos* Septumio *miſi: in quibus eſt de diſciplina, quam uocant* ἐτυμολογικὴν. Q*uæ contra eam dicerentur, uolumine primo: quæ pro ea, ſecundo: quæ de ea, tertio.* In *his ad te ſcribam, à quibus rebus uocabula impoſita ſint in lingua* Latina*: & ea, quæ ſunt in conſuetudine apud poëtas: cùm uniuſcuiuſque uerbi naturæ ſint duæ: à qua re, & in qua re uocabulum ſit impoſitum.* Itaque *à qua re ſit pertinacia cùm quæritur, oſtenditur eſſe à per-*
1 *tendendo: in qua re ſit impoſitum dicitur, cùm demonſtratur, in quo non debet pertendi, & pertenditur, pertinaciam eſſe: quòd in quo oporteat manere, ſi eo perſtet, perſeuerantia ſit. Priorem illam partem, ubi, cur, & unde ſint uerba, ſcrutantur* Græci*, uocántque* ἐτυμολογίαν *illam, alteram* ἀναλογίαν*: de quibus duabus rebus in his libris promiſcuè dicam, ſed exilius de poſteriore.* Q*uæ ideo ſunt obſcuriora, quòd neque omnis impoſitio uerborum extat, quòd uetuſtas quaſdam deleuit, nec quæ extat, ſine mendo*

omnis

omnis impoſita: nec quæ rectè eſt impoſita, cuncta manet. Multa enim uerba litteris commutatis ſunt interpolata, neque omnis origo eſt noſtræ linguæ è uernaculis uerbis: & multa uerba aliud nunc oſtendunt, aliud antè ſignificabant, ut hoſtis. Nam tum eo uerbo dicebant peregrinum, qui ſuis legibus uteretur: nunc autem eum, quem tum dicebant perduellem. In quo genere uerborum, ut caſu erit illuſtrius, unde uideri poſsit origo, inde repetam: ita fieri oportere apparet, quòd recto caſu, quom dicimus impos, obſcurius eſt, eſſe à potentia, quàm cùm dicimus impotem: & eò obſcurius fit ſi dicas pos, quàm impos: uidetur enim pos ſignificare potius pontem, quàm potentem. Vetuſtas pauca non deprauat, multa tollit. Quem puerum uidiſti formoſum, * hunc uides * nunc deformem in ſenecta. Tertium ſeculum non uidet eum hominem, quem uidit primum. Quare illa, quæ iam maioribus noſtris ademit obliuio fugitiua ſecuta ſedulitas Mutij, & Bruti retrahere nequit, non, ſi non potuero indagare, eò ero tardior: ſed uelocior ideo, ſi quiuero. Non mediocres enim tenebræ in ſylua, ubi hæc captanda: neque eò, quò peruenire uolumus, ſemitæ tritæ: neque non in tramitibus quædam obiecta, quæ euntem retinere poſſent. Quoniam uerborum nouorum, & ueterum diſcordia omnis in conſuetudine communi, quot modis literarum commutatio ſit facta qui animaduerterit, ſcrutari facilius origines patietur uerborum. Reperiet enim eſſe commutata, ut in ſuperioribus libris oſtendi, maximè propter has quaternas cauſſas. Literarum enim fit demptione, aut additione, & propter ſyllabarum artationem, item earum productionem. Quæ, quoniam in ſuperioribus li-

bris, cuiuſmodi eſſent, exemplis ſatis demonſtraui: hic
commemorandum eſſe modò non putaui. Nunc ſingu-
3 *lorum uerborum origines expediam: quorum quattuor*
explicandi gradus. Primus, in quo populus etiam uenit.
Quis enim non uidet, unde aurifodinæ, & Viocurus? Se-
cundus, à quo grammatica deſcendit antiqua, quæ oſtendit
quemadmodum quodque poëta uerbum confinxerit, quòd
4 *declinarit. Hinc Pacuuius, rudentiſibilus, hinc incurui-*
ceruicum pecus, hinc chlamyde clypeat brachium. Ter-
tius gradus, quo philoſophia deſcendens peruenit: atque
ea, quæ in conſuetudine communi eſſent, aperire cœ-
pit, ut à quo dictum eſſet oppidum, uicus, uia. Quar-
tus, ubi eſt aditus, & initia rerum: quò ſi non perue-
niam, ſcientiam ad opinionem aucupabor: quod etiam
nonnunquàm in ſalute noſtra facit, cùm ægrotamus, medi-
cus. Quod ſi ſummum gradum non attigero, tamen ſecun-
5 *dum præteribo: quod non ſolùm ad Ariſtophanis lucer-*
nam, ſed etiam ad Cleanthis lucubraui. Nolui præterire
eos, qui poëtarum modo uerba, ut ſignificant, expediunt.
Non enim uidebatur conſentaneum quærere me eo in uer-
bo, quod finxiſſet Ennius, cauſſam negligere, quod antè
rex Latinus finxiſſet: cùm poëticis multis uerbis magis
delecter, quàm utar: antiquis magis utar, quàm delecter.
An non potius mea uerba illa, quæ hæreditate à Romu-
lo regè uenerunt, quàm quæ à poëta Liuio relicta? Igitur
quoniam hæc ſint tripartita uerba, quæ ſunt aut noſtra,
aut aliena, aut obliuia: de noſtris dicam cur ſint, de alie-
nis unde ſint, de obliuiis relinquam. Quorum partem cùm
ita inuenerim, ut opinor, ſcribam. In hoc libro dicam de
uocabulis locorum, & quæ in his ſunt. In ſecundo, de
temporum,

temporum, & quæ in his fiunt. In tertio, *de utraque re à poëtis comprehenſa.* PYTHAGORAS *Samius ait omnium rerum initia eſſe bina: ut finitum & infinitum, bonum & malum, uitam & mortem, noctem & diem. Quare item duo, ſtatus, & motus: quo ſtat, aut agitur corpus: ubi agitatur, locus: dum agitatur, tempus: quod eſt in agitatu, actio. Quadripartitio magis ſic apparebit: corpus eſt, ut curſor: locus, ſtadium, quâ currit: tempus, hora, qua currit: actio, curſio. Quare fit, ut ideò omnia ferè ſint quadripartita, & ea æterna: quòd neque unquam tempus, quin fuerit motus: eius enim interuallum, tempus: neque motus, ubi non locus & corpus, quod alterum eſt, quod mouetur, alterum ubi: neque ubi ſit agitatus, non actio ibi. Igitur initiorum quadrigæ locus, & corpus, tempus, & actio. Quare quattuor genera prima rerum, totidem uerborum: de his locis, & his rebus, quæ* 6
in his uidentur, in hoc libro ſummatim ponam. Sed ſi quæ cognatio eius erit uerbi, quod radices egerit extra fines ſuas, perſequemur. Sæpe enim ad limitem arboris radices ſub uicini prodierunt ſegetes. Quare non, cùm de locis dicam, ſi ab agro ad agroſum hominem, & agricolam peruenero, aberraro. Multa ſocietas uerborum, nec uinalia ſine uino expediri, nec calabra curia ſine calatione poteſt aperiri. INCIPIAM *de locis ſub ipſius loci origine. Locus eſt, ubi quid locatum eſſe poteſt, ut nunc dicunt collocatum: ueteres id dicere ſolitos apparet apud Plautum: Filiam habeo grandem, caſſam dote, atque illocabilem, neque eam queo locare cuiquam. Apud* 7
Ennium: Ò terra Græca, ubi Liberi fanum, intimum 8
locaui. Vbi quicquam conſiſtit, locus. Ab eo præco di-

*citur locare, quoadu ſque id emitur, quoad in aliquo conſi-
ſtit pretium. Inde locarium, quod datur in ſtabulo, & taberna, ubi conſiſtant. Sic loci muliebres, ubi naſcendi initia conſiſtunt. Loca ſecundum antiquam diuiſionem prima duo, cælum & terra: deinde particulatim utriuſque multa. Cæli dicuntur loca ſupera, & ea deorum: terræ, loca infera, & ea hominum: ut Aſia. Sic terra dicitur modis duobus. Nam & Aſia, quæ non Europa, in qua etiam Syria: & Aſia dicitur prioris pars Aſiæ, in qua eſt* Ionia, *ac prouincia noſtra* Cilicia. *Sic cælum dicitur duobus modis, & pars eius ſumma, ubi ſtellæ, & id quod* Pacuuius *demonſtrat, cùm dicit:* Hoc uide circùm *ſupráque quod complexu continet terram: cui ſubiungit id, quod noſtri cauum cælum memorant: à qua bipartita*
9 *diuiſione* Lucretius *ſuorum unius & uiginti librorum initium fecit hoc:* Aetheris, *& terræ genitabile quærere tempus. Cælum dictum ſcribit* Aelius, *quòd eſt cælatum: aut à contrario nomine celatum, quòd apertum eſt: non male quod poſterius* Aelius, *multo potius celare à celo, quàm cælum à cælando. Sed non minus illud alterum de celando ab eo potuit dici, quòd interdiu celatur, quàm quod noctu non celatur omnino. Ego magis puto à chao cauum, & hinc cælum: quoniam, ut dixi,* Hoc circum, *ſupráque quod complexu continet terram, cauum cælum* Itaque dicit Andromacha: *nocti, Quæ caua cæli ſignitenentibus conficis bigis: &* Agamemnon: In *altiſono cæli clypeo. Cauum enim clypeum.* Ennius *item*
10 *ad cauationem, cæli ingentes fornices. Quare ut à cauo cauea, & caulæ, & conuallis cauata uallis, & caueo cautio: & cauum ſic ortum: unde omnia apud* Heſiodum *à*

chao

chao, cauum cælum. Terra dicta ab eo, ut Aelius *ſcribit,*
quòd teritur. Itaque *tera in augurum libris ſcripta cum*
r uno. Ab *eo colonis locus communis, qui prope oppidum*
relinquitur, teritorium, quod maximè teritur. Hinc *lin-*
teum, quòd teritur corpore, termentarium: hinc in meſſe
tritura, quòd tum frumentum teritur, & tribulum quo 11
teritur. Hinc *fines agrorum termini, quòd hæ partes* 12
propter militare iter maximè teruntur. Itaque *terminus*
cum in Latio *aliquot locis dicitur, ut apud* Accium, *non*
terminus, ſed termen, hoc Græci τέρμα. Euander *enim,*
qui uenit in Palatium *è* Græcia, Arcas *fuit.* Via *quidem*
iter, quòd ea uehendo teritur: actus iter in agris, quòd
agendo teritur: etiam ambitus iter, quòd circumeundo teri-
tur: nam ambitus circuitus, ab eóque XII. *tabularum inter-*
pretes, ambitum parietis, circuitum eſſe deſcribunt. Igi-
tur tera terra, ab eo poëtæ appellarunt ſumma terræ, quæ
ſola teri poſſunt, ſola terræ. Terra, *ut putant, eadem &*
humus. Ideo Ennius: In terram *cadentes, dicit, cubitis*
pinſibant humum: & quòd terra ſit humus, ideo humatus,
cum mortuus qui terra ſit obrutus: ab eo qui Romæ *non*
combuſtus eſt, aut in ſepulchrum eius abiecta gleba non 13
eſt, aut ſi os exceptum non eſt mortui ad familiam expur-
gandam, donec in purgando humo non eſt opertum, ut
pontifices dicunt, quoad inhumatus ſit, familia funeſta ma-
net, & dicitur humilior. Quæ *ad humum ſunt, aut à re,*
ut Sabini, *&* Lucani: *aut declinata ab hominibus, ut* Ap-
pulia & Latium: *utrumque, ut* Hetruria *&* Thuſcia: *quâ*
regnum fuit Latini, *uniuerſus ager dictus* Latium, *parti-*
culatim oppidis cognominatus: ut à Præneſte *Præneſti-*
nus, ab Aricia *Aricinus, ut noſtri augures publici dixerunt,*

Agrorum

Agrorum ſunt genera quinque, Romanus, Gabinus, Peregrinus, Hoſticus, Incertus. Romanus dictus, unde Roma, ab Romulo. Gabinus, ad oppido Gabiis. Peregrinus ager pacatus, qui extra Romanum, & Gabinum, quòd uno modo in his ſeruantur auſpicia: dictus peregrinus à pergendo, id eſt, progrediendo: eo enim ex agro Romano primùm progrediebantur: quocirca Gabinus, ſiue peregrinus, ſecundum hos auſpicia habent ſingularia. Ab reliquo
14 diſcretus Hoſticus, dictus ab hoſtibus. Incertus is, ager qui de his quattuor qui ſit, ignoratur. Ager dictus eſt, in quam terram quid agebant, & unde quid agebant fructus cauſſa: id Græci dicunt ἀγρὸν. Vt ager, quòd agi poterat, ſic quà agi, actus: eius finis minimus conſtitutus in latitudinem, pedes quattuor: fortaſſe ab eo quattuor, quòd eâ quadrupex agitur: in longitudinem pedes c. & xx. in quadratum actus, & in latum, & in longum eſſet c. xx. Multa antiqui duodenario numero finiebant, ut xij. decuriis actum. Iugerum dictum iunctis duobus actibus quadratis. Centuria prima à centum iugeribus dicta: poſt duplicata retinuit nomen, ut tribus multiplicatæ idem tenent
15 nomen. Vt quâ agebant, actus: ſic quâ uehebantur, uiæ dictæ: quò fructus conuehebant, uillæ: quâ ibant, ab itu iter appellarunt: quâ anguſtè, ſemita, ut ſemiter dictum. Ager cultus ab eo, quòd ibi cum terra ſemina coaleſcebant. Ab eo inconſitus, incultus. Quòd primum ex agro plano fructus capiebant, campus dictus: poſtea quum proxima ſuperiora loco colere cœperunt, à colendo colles appellarunt. Quos agros non colebant propter ſyluas, aut id genus ubi pecus poſſit paſci, & poſſidebant, ab uſu ſuo, Saltus nominarunt. Hæc Græci τὰ ἄλσεα καὶ νόμας noſtri

noſtri nemora. Ager quod uidebatur pecudum ac pecu-
niæ eſſe fundamentum, fundus dictus: aut quòd fundat
quotannis multa. Vineta, ac uineæ à uite multa: uitis à
uino, idq; à ui: hinc uindemia, quod eſt uini demia, aut
uitis demia. Seges ab ſatu, id eſt, ſemine. Semen quod 16
non planè id eſt, quod inde eſt: hinc ſeminaria, ſementes
item alia. Quæ ſegetes ferunt, fruges: à fruendo, fru-
ctus: ab ſpe, ſpicæ, ubi & culmi, quòd in ſummo cam-
po naſcuntur, & ſummum culmen. Vbi frumenta ſecta
terantur, & areſcant, area. Propter horum ſimilitudi-
nem loca in urbe pura, areæ: à quo poteſt etiam Ara-
deûm eſſe, quòd pura: niſi potius ab ardore, ad quem ut
ſit, ſit ara: à quo ipſa area non abeſt, quòd qui areſacit,
ardor eſt ſolis. Ager reſtibilis, qui reſtituitur, ac re-
ſeritur quotannis: contrà qui intermittitur, à nouando no-
ualis ager. Aruum & arationes ab arando: ab eo, quòd
aratri uomer ſuſtollit, ſulcus: quòd ea terra iacta, id eſt, 17
proiecta, porca. Prata dicta ab eo, quòd ſine opere pa-
rata. Quod in agris quotannis rurſum facienda eadem, 18
ut rurſus capias fructus, appellata rura. Diuidit in eos, 19
agros cùm ſcribit Sulpitius: Plebi rura largitur ad
aream. Prædia dicta, item ut prædes, à præſtando, quòd ea
pignori data publicè mancupi fidem præſtent. DE- 20
SVNT QVAEDAM. *Vbi nunc eſt Roma, ſe-*
ptem montium demiſſior, infimus locus? infimus, humi-
limus, quòd in mundo infima humus: humor hinc. Itaque
Pacuuius: Terra exhalat auram, atque auròram hu-
mectam. Hinc ager uliginoſus, humidiſſimus: hinc udus,
uuidus. Hinc ſudor. Aquæ uis deorſum in terra, im-
ber. Ideò Lucilius: Terra abit in nimbos, imbréſque.
Vnde

Vnde ſumi poteſt, puteus: niſi potius quod Aeolcs dicebant τὸν πύθιον καὶ ποταμόν. Sic potura à potu, non ut nunc à πόσις. A' puteis oppidum Puteoli, *quòd ſint circa eum locum aquæ frigidæ, & calidæ multæ; niſi à putore potius, quòd putidus ſit odoribus, ſæpe ex ſulfure, & alumine.* Extra oppida à puteis Puticuli, *quòd ibi in puteis obruebantur homines: niſi potius, ut* Aelius *ſcribit,* Puticuli, *quòd puteſcebant ibi cadauera proiecta: qui locus publicus ultra Eſquilias.* Itaque *eum* Afranius *puticulos in* Togata, *appellat, quòd inde *ſuſcipiunt perpetuo lumen.* Lacus *lacuna magna, ubi aqua contineri poteſt.* Palus *paululum aquæ in altitudinem, & palàm latius diffuſæ.* Stagnum *quod Græcè*

* pro ſuſpiciunt

21 *στεγνόν, quod nomen habuit primum.* Hinc *ad uillas rotunda ſtagna, quòd rotundum facilimè continet; nec anguli maximè laborant.* Fluuius *quòd fluit, item flumen: à quo, lege prædiorum urbanorum ſcribitur.* STILLICIDIA, FLVMINAQVE, VT ITA FLVANT, CADANTQVE. Inter *hæc hoc intereſt, quòd ſtillicidium, eò quòd ſtillatim cadat: flumen, quòd fluat continuè.* Amnis *id flumen eſt, quod circuit aliquid: nam ab ambitu amnis.* Ab *hoc qui circum* Aternum *habitant amnem,* Amiternini *appellati.* Ab *eo, qui populum candidatus circumit, ambit: qui aliter facit, indagabili ex ambitu cauſſam dicit.* Itaque Tiberis *amnis, qui ambit* Martium *campum, & urbem.* Oppidum Interamne *dictum, quòd inter amnes eſt conſtitutum.* Item Antemnæ, *quòd ante amnem, qui influit in Tiberim, quòd in bello malè acceptum conſenuit.* Tiberis, *quod caput*

22 *extra* Latium, *ſi inde nomen quoque effluit in linguam noſtram:*

noſtram, nihil Latinum: ut quod oritur e Samnio. Volturnus nihil ad Latinam linguam: ad quod proximum oppidum ab eo ſecundum mare Volturnum, ad nos iam Latinum uocabulum, ut Tiberinus: nam & colonia noſtra Volturnus, & deus Tiberinus. Sed de Tiberis nomine anceps eſt hiſtoria. Nam & ſuum Etruria, & Latium ſuum eſſe credit: quòd fuerunt, qui à uicino Regulo Veientum Dehebri dixerunt appellatum, primò Dehebrim. Sunt qui Tiberim priſcum nomen Latinum Albulam uocitatum literis tradunt: poſterius propter Tiberium regem Latinorum mutatum, quòd ibi interi- 23 erit: nam hoc eius, ut tradunt, ſepulchrum. Vt omnis natura in cælum, & terram diuiſa eſt: ſic cælum in regiones, terra in Aſiam, & Europam. Aſia enim iacet ad meridiem, & auſtrum. Europa ad ſeptentriones, & aquilonem. Aſia dicta à nympha, ex qua & Iapeto trahitur Prometheus. Europa ab Europa Agenoris filia, quam ex Phœnicia Mallius ſcribit taurum exportaſſe: quorum 24 egregiam imaginem ex ære Pythagoras Tarenti fecit. Europæ loca multæ incolunt nationes: eá ferè nominata aut translatitio nomine, aut ab hominibus. MVLTA DE EA SVNT. Sunt & nomina ab tot montibus, quos poſtea urbs muris comprehendit: è queis Capitolium dictum, quòd hic cùm fundamenta foderentur ædis Iouis, caput humanum (hominis) inuentum dicitur. Hic mons, antè Tarpeius dictus, à uirgine Veſtali Tarpeia, quæ ibi à Sabinis necata armis, & ſepulta, eius nominis monimentum relictum: quod etiam nunc eius rupes, Tarpeium appellatur ſaxum. Hunc anteà montem Saturnium appellatum prodiderunt, & ab eo latè Saturniam terram, ut

etiam

etiam Ennius appellat. Antiquum oppidum in hoc fuiſſe
Saturniam ſcribitur. Eius ueſtigia etiam nunc manent
tria: quòd Saturni fanum in faucibus, quòd Saturnia por-
ta, quam Iunius ſcribit, quam nunc uocant Pandanam:
quòd poſt ædem Saturni, in ædificiorum legibus parietes
poſtici muri ſunt ſcripti. Auentinum aliquot de cauſſis
dicunt. Næuius, ab auibus, quod eò ſe ab Tiberi ferrent
aues: alij à rege Auentino Albano, quòd ibi ſit ſepultus:
alij ab aduentu hominum, quòd commune Latinorum
ibi Dianæ templum ſit conſtitutum. Ego maximè puto
ab aduectu: nam olim paludibus mons erat ab reliquis
diſcluſus. Itaque eò ex urbe, qui aduehebantur ratibus,
quadrantem ſoluebant: cuius ueſtigia, quòd ea, quâ tum
ibatur, uelabrum, & unde aſcendebant ad imam nouam
uiam lucus eſt & ſacellum Larum. Velabrum dicitur à * ue-
hendo: uelaturam facere etiam nunc dicuntur, qui id mercede
faciunt. Merces dicitur à merendo & ære. Hinc uecturæ,
quas ſoluebant hi, qui ratibus tranſibant, quadrans: ab
25 eo Lucilius ſcripſit, quadrantis ratiti. Reliqua urbis lo-
ca olim diſcreta, cùm Argeorum ſacraria in ſeptem &
26 xx. partes urbis ſint diſpoſita. Argeos dictos putant
à principibus, qui cum Hercule Argiuo uenerunt Ro-
mam, & in Saturnia ſubſederunt: è queis prima eſt ſcri-
pta regio Suburrana, ſecunda Eſquilina, tertia Collina,
quarta Palatina. In Suburranæ regionis parte princeps
eſt Cælius mons, à Cælio Vibenno Tuſco duce nobili,
qui cum ſua manu dicitur Romulo ueniſſe auxilio con-
tra Sabinum Regem. Hinc poſt Cælij obitum, quòd ni-
mis munita loca tenerent, neque ſine ſuſpicione eſſent,
deducti dicuntur in planum: ab eis dictus uicus Thuſcus:

* alias uelando:

& ideo

*& ideo ibi Vortunnum ſtare, quòd is deus Etruriæ: prin-
cipes de Cælianis, qui à ſuſpicione liberi erant, traductos
uolunt in eum locum, qui uocatur Cæliolus. Cùm Cælio
coniunctæ Carinæ: ſed inter eas quem locum Ceroliensem
appellatum apparet, quòd primæ regionis quartũ ſacra-
rium ſcriptum ſic eſt:* CEROLIENSIS QVAR-
TICEPS CIRCA MINERVIVM, QVA IN
CÆLIVM MONTEM ITVR, IN TABER-
NOLA EST. *Ceroliensis à carinarum iunctu dictus
Carinæ poſteà Cerionia, quòd hinc oritur caput Sacræ
uiæ ab Streniæ ſacello, quæ pertinet in arcem, qua ſacra
quotquot menſibus feruntur in arcẽ, & per quã augures* 27
*ex arce profecti ſolent inaugurare. Huius Sacræ uiæ pars
hæc ſola uulgo nota, quæ eſt à foro eunti primore cliuo.
eidem regioni attributa Subura, quòd ſub muro terreo
Carinarum, in eo eſt Argeorum ſacellum ſextum. Subura
Iunius ſcribit, ab eo, quòd fuerit ſub antiqua urbe, cui te-
ſtimonio poteſt eſſe, quod ubeſt ei loco qui Terreus mu-
rus uocatur. Sed ego à pago potius Succuſano dictã puto
Succuſam. Nunc ſcribitur tertia litera c, nõ b. Pagus Suc-* 28
*cuſanus quòd ſuccurrit carinis. Secundæ regionis Eſqui-
liæ. alij has ſcripſerunt ab excubijs regis dictas: alij ab eo,* 29
quòd excultæ à Rege Tullo eſſent. Huic origini magis cõ 30
cinunt luci uicini, quod ibi lucus Fagutalis, & lucus Me-* *alias Martis
*phitis, & lucus Iunonis Lucinæ, quorum anguſti fines nõ
mirum Iamdiu enim latè auaritia una eſt Item lucus La-
rum, & Querquetulanum ſacellum. Eſquiliæ duo montes
habiti, quòd pars Ciſpius mons ſuo antiquo nomine etiam
nunc in ſacris appellatur: et in ſacris Argeorũ ſcriptũ eſt
ſic:* OPPIVS MONS PRINCEPS LVCVM
ESQVILINVM, LVCVM FAGVTALEM, SI-

NISTRA QVÆ SVB MOERVM EST, OPPIVS MONS BICEPSOS SIMPLEX. OPPIVS MONS TERTICEPSOS LVCVM ESQVILINVM, DEXTERIOR VIA IN TABERNOLA EST. OPPIVS MONS QVADRICEPSOS LVCVM ESQVILINVM VIAM DEXTERIOREM IN FIGLINEIS EST. SEPTIMVS MONS QVINTICEPSOS LVCVM POETILIVM, EX QVIBVS EST ESQVILINVS SEXTICEPSOS. CISPIVS MONS SEPTICEPSOS APVD ÆDEM IVNONIS LVCINÆ, VBI ÆDITVMVS HABITARE SOLET. *Tertiæ regionis colles ab quinq; deorũ ſanis appellati, è queis nobiles duo colles, Viminalis à Ioue Vimineo, quòd ibi aræ ſunt eius, aut quòd ibi uimina nata fuerũt. Collis Quirinalis ubi Quirini ſanũ eſt: qui à Curetib. qui cũ T. Tatio Curibus uenerunt Romam, quòd ibi habuerũt caſtra: quod uocabulum coniunctarum regionum nomina obliterauit. Dictos enim colles plures apparet ex Argeorũ ſacrificijs: in quibus ſic ſcriptum eſt,* COLLIS QVIRINALIS TERTICEPSOS AEDEM QVIRINO: COLLIS SALVTARIS QVARTICEPSOS ADVERSVM EST PILO HONORIS AEDEM SALVTIS: COLLIS MVTIALIS QVINTICEPSOS APVD AEDEM DEI FIDII IN DELVBRO, VBI AEDITVMVS HABERE
31 SOLET. COLLIS LATIARIS SEXTICEPSOS IN VICO MVSTELLARIO SVMMO APVD THVRACVLVM AEDIFICIVM SOLVM EST. *Horum deorum aræ, à quibus cogno-*

mina

mina habēt,in eius regionis partibus ſunt. Quartæ regionis Palatium,quod * palantes cum Euandro uenerunt,aut quòd palatini, qui & Aborigines ex agro Reatino, qui appellatur Palatiū,ibi conſederunt. Sed hoc alij à Palatia uxore Latini putarūt. Eundem hunc locum à pecore dictū putant quidam. Itaque Næuius Balantium appellat, huic Germalum, & Velias coniunxerunt: & in hac regione ſacriportus eſt, & in eo ſic ſcriptum, GERMALENSIS QVINTICEPSOS APVD AEDEM ROMVLI, VELIENSE SEXTICEPSOS, IN VELIA APVD AEDEM DEVM PENATIVM. Germalum à germanis Romulo & Remo, quòd ad ficum Ruminalem hi inuēti, quò aqua hyberna Tyberis eos detulerat in alueolo expoſitos. Veliæ unde eſſent plures accepi cauſas, in queis, quòd ibi paſtores Palatini, ex ouibus ante tonſuram inuentam uellere lanam ſint ſoliti, ex quo uellera dicūtur. Ager Romanus primùm diuiſus in partes treis, à quo tribus appellata * Tatiēſum, Rāmium, Lucerum: nominatæ, ut ait Ennius, Tatienſes à Tatio, Ramnenſes à Romulo, Luceres (ut ait Iunius) à Lucumone, 32 ſed omnia hæc uocabula Tuſca, ut Volumnius, qui tragœdias Tuſcas ſcripſit, dicebat. Ab hoc quoq; quattuor partes urbis trib. dictæ: & ab locis Suburana, Eſquilina, Collina, Palatina, quòd quinta ſub Roma, Romilia. Sic reliquæ trib. ab his reb. ut in Tribuū libris ſcripſi. QVOD AD loca, quæq; ijs adiuncta fuerunt diximus: nunc de ijs, quæ in locis eſſe ſolēt. Immortalia, & mortalia expediam, ita ut prius, quod ad deos pertinet, dicam. Principes dei, cælum, & terra: hi dei ijdem, qui in Aegypto Serapis, & Iſis, etſi Harpocrates digito ſignificat, qui ſunt Taautes, 33 & Aſtarte apud Phœnicas, ut idem principes in Latio,

* alias Palantei

* alias Tienſium

*Saturnus & Ops. Terra enim & cælũ ut Samothracum
initia docẽt, ſunt dei magni, & hi quos dixi multis nomi-
nibus Nam neque quas Ambracia ante portas ſtatuit duas
uiriles ſpecies æneas dij magni, neque, ut uulgus putat, hi
Samothraces dij, qui Caſtor & Pollux Sic hi mas & fœ-
mina, & hi quos Augurũ libri ſcriptos habẽt. Sic:* DIVI
POTES: *et ſunt pro illis, qui in Samothrace* θεοὶ δύνα-
τοι. *Hæc duo cælũ & terra, quod anima & corpus, humi-
dum & calidũ. Oua parere ſolet genus pennis condeco-
ratum, non animas, ut ait Ennius, et pòſt inde uenit diui-
nitus pullis inſinuãs ſeipſa anima: ſiue ut Zenon Cityeus,
animalium ſemẽ ignis, qui anima et mens, qui calor è cæ-
lo, quod hic innumerabiles ac immortales ignes. Itaque
Epicharmus de mente humana dicit: Iſtic eſt de ſole ſum-
ptus ignis, idem, ſolem adſerit. Iſq; actus mentis eſt, ut hu-
mores calidi & humidi, ut ſupra oſtẽdi, quibus iũcti cælũ,
& terra omnia ex ſe genuerunt: quòd per hos natura fri-
gori immiſcet calorẽ, atq; humori aritudinem. Rectè igi-
tur Pacuuius ait: Animam æther adiũgat. & Ennius: Eſſe
34 igitur corpus terrã. quæ deperit ipſam. Et capit, & neq;
tã diſpendij cõficit hilũ. Animæ et corporis diſceſſus, quòd
natis ſit exitus, inde exitium: ut cùm in unum ineũt, initia.
Inde omne corpus, ubi nimius ardor, aut humor uiget, aut
interit, aut manet ſterile: cui teſtis æſtas, & hyems, quòd
in altero aër ardet, & ſpica aret: in altero natura ad na-
ſcendũ cum imbre frigore luctare non uult, & potius uer
expectat. Igitur cauſſa naſcendi duplex, ignis & aqua.
Ideò ea in nuptijs in limine adhibentur, quod coniungunt.
Hinc eſt mas ignis, quod ibi ſemẽ: aqua fœmina, quòd fœ-
tus ab eius humore, & eorũ uinctione ſumit Venus. Hinc
comicus: Victrix Venus uidesne hæc? nõ quòd uincere ue-*

lit Venus,ſed quòd uincire & uinciri ipſa. Victoria ab eo
quod ſuperati uincuntur. Vtriq; teſtis poëſis,quod et Vi-
ctoria,& Venus dicitur cæligena. Tellus enim quòd pri-
ma uincta cælo,Victoria ex eo: & ideo hæc cum corona,
& palma: quòd corona uinculũ capitis,& ipſa à uinctu-
ra dicitur. Viere eſt uincire,à quo eſt in Aſoto Ennij. Ibãt
mane uiere ueneriam corollam. Palmam dicunt,quod ex 35
utraq; parte natura uincta habet paria folia. Poëtæ de cæ-
lo, ſemen igneum cecidiſſe dicunt in mare, ac natum
è ſpuma Venerem: coniunctione ignis,& humoris,quam 36
haberet uim ſignificant res Veneris: à qua ui natis dicta
uita, ut illud à Lucilio: Vis eſt uita uides, quæ nos facere
omnia cogit. Quare quod cælum principium, ab ſatu eſt
dictus Saturnus: ex quo ignes Saturnalibus,hoc eſt cerei 37
ſuperioribus mittũtur. Terra Ops,quòd hæc omne opus,
& hac opus ad uiuendum: & ideo dicitur Ops mater,
quòd terra nutriat. Hæc enim terris genteis omnes pepe-
rit,& reſumit denuò: quæ dat cibaria,ut ait Ennius: quæ
quod gerit fruges,Ceres. Antiquis enim quod nunc,& hi
dei cælum,& terra, Iupiter & Iuno: quod,ut ait Ennius,
Iſtic eſt is Iupiter, quem dico, quem Græci uocant ἀέρα.
qui uentus eſt,et nubes,imber poſtea, atque ex imbre fri-
gus,uentus pòſt fit,aër denuò. Hæc propter Iupiter ſunt
iſta, quæ tibi dico: quia mortales atque arbores, herbas, 38
belluasq; omnes iuuat,quòd hic omnes, & ſub hoc eundẽ
appellans dicit Ennius: Diuumq; hominumq; pater rex.
Pater,quòd patefaciat omnia,& ipſum ſemen: nã tum eſt
conceptũ, exinde cum exit,quod oritur. Hoc idem magis
oſtendit antiquũ Iouis nomen Nam olim Diouis & Die- 39
ſpiter dictus,hoc eſt aër,et diei pater: à quo Dei dicti,qui
unde & Dies,& Dius,& Diuus. Vnde ſub dio,diuo,dius

Fidius.Itaq; inde eius perforatū tectū ut uideatur diuum,
id eſt,cælum.Quidam negant ſub tecto per hunc deierare
oportere. Aelius Gallus *dium* Fidium *dicebat* Diouis *fi-*
40 *lium* Διόσκουρον Caſtorem,*& putabat hunc eſſe Sanctum*
ab Sabina lingua,et Herculem *à* Græca.*Idem hic* Dieſpi-
ter dicitur infimus aër,qui eſt coniūctus terræ,ubi omnia
oriuntur,ubi aboriuntur:quorum quòd finis ortus, Ortus
dictus quòd Iouis Iuno *cōiux,& is cælum, hæc terra quæ*
eadem tellus : & ea dicta,quòd unà cum Ioue *iuuat,*Iuno:
& regina,quòd hæc omnia terreſtria regit. Sol,uel quòd
ita Sabini appellarunt, uel quòd ſolus ita lucet, ut ex eo
dies ſit.Luna, quòd lucet noctu:itaque ea dicta Noctiluca
in Palatio *: Nam ibi noctu lucet templum: hanc,ut ſolem,*
Apollinem,*quidam* Dianam *uocant.*Apollinis *uocabulum*
41 Græcum *alterum,* Latinū *alterum : & hinc quòd in alti-*
tudinem, & latitudinem ſimul Diuiana *appellata. Hinc*
Epicharmus Enni *Proſerpinā quoq; appellat,quòd ſolet*
eſſe ſub terris. Proſerpina dicta,quod hæc, ut ſerpēs,mo-
do in dexterā,modo in ſiniſtram partē latè mouetur.Ser-
pere & proſerpere idem dicebant:ut Plautus,*qui ſcribit:*
42 *quaſi proſerpens beſtia.Quæ ideò uidetur à* Latinis Iuno
Lucina dicta,uel quòd terram, ut Phyſici dicunt,iuuat,&
lucet:uel quòd ab luce eius,qua quis cōceptus eſt, unà ui-
uat,donec menſib.actis produxit in lucem. Facta igitur à
*iuuando,& luce,*Iuno Lucina*:à quo parientes eam inuo-*
cant.Luna enim naſcētium dux, quòd menſes huius ducat.
Hoc uidiſſe antiquos apparet, quòd mulieres potiſſimum
ſupercilia ſua attribuerunt ei deæ. Hic enim maximè de-
buit collocari Iuno Lucina *, ubi ab dijs lux datur oculis.*
43 Ignis *à naſcendo,quòd hic naſcitur : & omne quod naſci-*
tur,igneſcit:ideò calet:ut qui denaſcitur,ignem cum amit-
tit,ac

tit,ac frigeſcit. Ab ignis iam maiore ui,ac uiolētia,Volca-
nus dictus: ab eo quod ignis propter ſplendorem fulget,
fulgor, fulmenq́;, & fulguritum, quod fulmine ictum,ut 44
Phaëton contrarijs * dijs. Ab aquæ lapſu lubrico lympha.
Nympha Iuturna,quæ iuuaret. Itaq́; multi ægroti propter
id nomen,hinc aquam petere ſolent. A fontibus,& flumi-
nibus,ac cæteris aquis dei, ut Tyberinus à Tyberi, & ab
lacu Velino, Velina:& nymphæ Commotiæ ad lacū Cu- 45
tilienſem à commotu: quòd ibi inſula in aqua cōmouetur.
Neptunus, quòd mare,et terras obnubit,ut nubes cælum,
à nuptu, id eſt, opertione, (ut antiqui) àquo nuptiæ, nu-
ptusq́; dictus. Salatia Neptuni ab ſalo. Venilia à ueniendo,
ac uento illo, quem Plautus dicit: Quod ille dixit, qui ſe- 46
cundo uento uectus eſt tranquillo mari, uentum gaudet.
Bellona,à bello nunc,quæ Duellona à duello. Mars ab eo
quòd marib. in bello præeſt: aut quod à Sabinis acceptus,
ibi Mamers. Quirinus à Quiritib. Virtus,ut uiri uis,à ui-
rilitate. Honos ab honeſto onere. Itaque honeſtus dicitur,
quòd oneratus:et dictū onus eſt honos,qui ſuſtinet Rem-
publicam. Caſtoris nomen Græcum,& Pollucis à Græcis
in Latinis literis ueteribus nomen quod eſt,inſcribitur, ut
πολυδεύκης Polluces, non ut nunc Pollux. Concordia à 47
corde congruente:Feroniæ,Mineruæ,Nouenſides,à Sabi-
nis. Paulo aliter ab eiſdem dicimus* Laram,Veſtam,Salu-
tem,Fortunam,Fortem, Fidem. Ea re Sabinorū linguam
olent: quæ Tatij regis uoto ſunt Romæ dedicata. Nam,ut
annales dicūt,uouit Opi,Floræ'ue,Dioui,Saturnoq́;,Soli, 48
Lunæ,Volcano,& Summano. Itemq́; Larūdæ,Termino,
Quirino,Vortūno,Laribus, Dianæ,Lucinæq́;:è queis nō-
nulla nomina in utraq́; lingua habent radices,ut arbores,
quæ in confinio natæ,in utroq́; agro ſerpunt. Poteſt enim

* alias dijs,in Padū fluuiū decidit.

* Herculem.

eſſe Saturnus hic alia de cauſſa dictus, atq; in Sabinis, & ſic Diana. *de quibus ſupra.* Dictum *eſt. quod ad immortales attinet. Deinceps quod ad mortales attinet uideamus. De his animalia in tribus locis, quòd ſunt in aëre, in aqua,*

49 *in terra: à ſumma parte ad infimam deſcendam. Primum generatim nominem alites: alij uolucres à uolatu: deinde nominatim: de his pleræq; à ſuis uocibus, ut hæ: upupa, cuculus, coruus, hirundo, ulula, bubo. itē hæ: pauo, anſer, gallina, columba. Sunt, quæ alijs de cauſsis appellatæ, ut no-*

50 *ctua, quòd noctu canit, ac uigilat: luſcinia, quòd luctuosè canere exiſtimatur, atque eſſe ex* Attica Progne *in luctu facta auis. Sic galerita, & motacilla: altera quòd in capite habet plumam elatam: altera quòd ſemper mouet caudam: merula quod mera, id eſt, ſola uolitat: cōtra ab eo graculi,*

51 *quòd gregatim, ut quidam Græci greges, τὰ γέργερα: ficedulæ, & miliariæ, à cibo, quòd alteræ fico, alteræ milio fiant pingues. Aquatilium uocabula animaliū partim ſunt uernacula, partim peregrina. Foris muræna, quòd μύραινα Græcè, cybium, thynnus, cuius item partes Græcis uocabulis omnes, ut melandria, atq; uræon: Vocabula piſciū, pleraq; tranſlata à terreſtribus, ex aliqua parte ſimilibus rebus, ut anguilla,* lingulaca, ſudis: alia à colorib. ut hæc: aſellus, umbra, turdus: alia à ui quadam, ut hæc: lupus, canicula, torpedo. Item in conchylijs aliqua ex Græcis: ut peloris, oſtrea, echinus. Vernacula ad ſimilitudinem, ut* ſyrenæ, pectunculi, ungues. Sunt etiam animalia in aqua, quæ interdum in terram exeūt: alia à Græcis uocabulis: ut polypus, hippopotamus, crocodilus: alia à Latinis: ut rana, anas, mergus, à quo Græci ea, quæ in aqua, & terra poſſunt uiuere uocāt amphibia. E queis rana ab ſua dicta uoce. Anas à nando: mergus, quòd mergēdo in aquam captet eſcam.*

* *nebulaca*

* *buccinæ*

eſcam. Item aliæ in hoc genere à Græcis:ut querquedula,
cerceris,halcedo,quòd ea halcyō.Latina,ut teſtudo,quòd
teſta tectum hoc animal. Loligo,quòd ſubuolat,litera cō-
mutata prima uoligo.Vt Aegypti in flumine quadrupes,
ſic in Latio nominati lytra,& fiber.lytra,quod ſuccidere 52
dicitur arborum radices in ripa, atq; eas diſſoluere, unde
lytra. Fiber,ab extremi ora fluminis dextra, & ſiniſtra,
quòd maximè ſolet uideri, & antiqui fibrum dicebāt ex-
tremum:unde in ſagis extremū fimbriæ, & in iecore ex-
tremum fibræ,fiber dictus eſt.Quæ ſunt hominū propria
primùm,deinde de pecore,tertiò de feris ſcribam: incipiā
ab honore publico. Conſul nominatus,quòd cōſulere po-
pulum, & ſenatū debet, niſi illinc potius unde Accius ait
in Bruto,qui rectè conſulat,conſul fiat. Prætor dictus qui 53
præiret iure, & exercitu:à quo id Lucilius:Ergo præto-
*rum eſt * ante præire. Cenſor ad cuius cenſionem,id eſt,* * alij antè omittunt.
arbitrium,cenſeretur populus.Aedilis qui ædes ſacras,&
priuatas procuraret.Quæſtores à quærendo,qui conqui-
rerent publicas pecunias,et maleficia,quæ Triumuiri ca-
pitales nunc conquirunt: ab his poſtea qui quæſtionū iu-
dicia exercent,quæſtores dicti.Tribuni militū,quòd terni
tribus tribubus Ramnium,Lucerum, Tatienſium olim ad
exercitum mittebantur. Tribuni plebeij, qui ex tribunis 54
militum primùm tribuni plebeij facti, qui plebē defende-
rent in ſeceſſione Cruſtumerina. Dictator,quòd à cōſule
dicebatur, cuius dicto audientes omnes eſſent. Magiſter
equitum,quòd ſumma poteſtas huius in equites,& adcen-
ſos,ut eſt ſumma,in Populum Romanum dictator,à quo is
quoq; magiſter populi appellatus.Reliqui quòd minores,
quàm hi magiſtri,dicti magiſtratus:ut ab albo albatus. Sa-
cerdotes uniuerſi à ſacris dicti.Pontifices,ut Q. Scæuola

Pontifex Maximus dicebat,à poſſe & facere: pontifices
ergo à ponte arbitror:nam ab ijs ſublicius eſt factus pri-
* uls, mùm,et reſtitutus ſæpe,quòd ideo ſacra,& * ultra,& cis
Tyberim non mediocri ritu fiant. Curiones dicti à curijs,
qui fiunt,ut in his ſacra faciant. Flamines quòd in Latio
capite uelato erant ſemper,ac caput cinctū habebant filo,
flamines dicti. Horū ſinguli cognomina habent ab eo deo,
cui ſacra faciunt: ſed partim ſunt aperta,partim obſcura.
Aperta,ut Martialis, Volcanalis: Obſcura,Dialis,& Fu-
rinalis. Cùm Dialis à Ioue ſit,Diouis eſt:Furinalis à Furi-
na, cuius etiam in faſtis Furinales feriæ ſunt. Sic Flamen,
Falacer à diuo patre Falacre. Salij à ſaltando,quod facere
* comitijs in * comitio,in ſacris quotannis,& ſolent,& debent. Lu-
perci,quòd Lupercalib. in lupercali ſacra faciunt. Fratres
aruales dicti ſunt,qui ſacra publica faciunt, propterea,ut
fruges ferant arua: à ferendo & aruis fratres aruales dicti
ſunt;qui à fratria dixerūt. Fratria eſt Græcū uocabulum
* Appuli partis hominum,ut* Neapoli etiā nunc. Sodales Titij dicti
56 ab Titijs auibus, quas in tugurijs certis obſeruare ſolent.
57 Feciales,quòd fidei publicæ inter populos præerant. nam
58 per hos fiebat,ut iuſtū conciperetur bellum, & ut fœde-
re fides pacis conſtitueretur. Ex his mittebant,antè quàm
cōciperetur,qui res repeterēt,et per hos etiā nūc fit fœ-
dus,quod fidus ſcribit Ennius dictū. In re militari Prætor
dictus, qui præiret exercitui. Imperator ab imperio po-
puli,qui eos,qui id attentaſſent,opprimeret hoſtes. Lega-
ti,qui lecti publicè,quorū opera,cōſilioq́; uteretur,pere-
grè magiſtratus, quíue nuntij ſenatus, aut populi eſſent.
Exercitus,quòd exercitādo fit melior. Legio,quòd legun-
tur milites in delectu. Cohors,quòd ut in uilla ex plurib.
tectis coniungitur,ac quiddam fit unum,ſic hæc ex mani-

pulis

pulis pluribus copulatur cohors: quæ in uilla dicta, quòd circa eum locum pecus coërceretur. Tametſi cohortem in uilla Hypſicrates *dicit eſſe* Græcè κόυρθον *apud poëtas di* 59
ctam. Manipulos exercitus minimas manus, quæ unum ſequuntur ſignum. Centuriæ, quæ ſub uno centurione ſunt: quorum centenarius iuſtus numerus. Milites, *quòd trium millium primò legio fiebat, ac ſingulæ tribus* Tatienſiũ,
* Ramnenſium, Lucerũ *millia ſingula militum mittebant.* *Ramnium
Haſtati dicti, qui primi haſtis pugnabant: pilani, qui pilis: principes, qui à principio gladijs: & poſt cõmutata re militari minus illuſtres ſumuntur, Pilani: * *triarijq́; dicti,* **triarij quoque*
quòd in acie tertio ordine extremi, ſubſidio deponebantur. Quòd hi ſubſidebant, ab eo ſubſidium dictum: à quo 60
Plaut. Agitē *nũc, ſubſidite omnes, quaſi ſolent triarij. Auxilium appellatur ab auctu, cùm acceſſerant, qui adiumẽto eſſent, alienigenæ. Præſidium eſt dictũ, quia extra caſtra præſidebant in loco aliquo, quo tutior regio eſſet.* Obſidiũ *dictum ab obſidendo, quo minus hoſtis egredi poſſet inde. item ab abſcidendo, cùm ideò facerent, quò facilius diminuerent hoſteis.* Duplicarij *dicti, quibus ob uirtutem duplicia cibaria, ut darentur, inſtitutum.* Turma, *terma eſt,* E *in* V *abijt, quòd terdeni equites ex trib. tribubus* Tatien-
*ſium,** Ramnenſium, & Lucerum *fiebant. Itaque primi* * Ramnie
ſingularum decuriarũ Decuriones *dicti, qui ab eo in ſingulis turmis ſunt etiam nũc terni.* Quos *hi primò adminiſtros ipſi ſibi adoptabant, optiones uocari cœpti, quos nũc propter ambitionem* Tribuni *faciunt.* Tubicines, *à tuba, & canendo, ſimiliter* Liticines, *à* Lituo, & Claſſicos *à claſſe: qui item cornu canunt, ut tum cùm claſſes comitijs comitatũ aduocant:* Quæ *à fortuna uocabula in his quæ-* 61
dam

dam minus aperta: ut pauper, diues, miſer, beatus, ſic alia, Pauper à paulo lare. Miſer à minus, cui cũ opus eſt, minus
*61 nulli eſt. Diues à diuo, qui, ut deus, nihil indigere uidetur: & is opulentus ab ope, & cui ea opima. Ab eadẽ inops, qui eius indiget. Ab eodẽ fonte copiæ copioſus. Pecunioſus à pecunia magna: pecunia à pecu. A' paſtoribus enim horum uocabulorum origo. Artificibus maxima cauſſa ab arte, id eſt ab arte medicina medicus ut ſit, à ſutrina ſutor: non à medendo, ac ſuendo, quæ omnino ultima. Huic rei earum rerũ radices, ut in proximo libro aperietur. Quare, quod ab arte artifex dicitur, nec multa in eo obſcura, relinquam. Similis cauſſa, quæ ab ſcientia uocãtur aliqua, ut præſtigiator, monitor, nomenclator. Sic etiã quæ à ſpatio quodam dicuntur curſor, natator, pugil: & in hoc genere, quæ ſunt uocabula, pleraq; aperta: ut legulus, et uindemiator, alter ab oleis, alter ab uuis. Hæc etſi minus aperta, uindemiator, ut ueſtigator, & uenator: tamen id eſt uindemiator, uel quod uinum legere dicitur, uel quod de uite id demit: ueſtigator à ueſtigijs ferarum, * quas indagatur: uenator à uento, quòd ſequitur feram ad uentum, & in uentũ. Hæc de hominibus. Hinc quod ſequitur de pecore. Pecus ab eo, quòd perpaſcat, à quo pecunia uniuerſa, quòd in pecore pecunia tum conſiſtebat paſtoribus: & ſtandi fundamentum pes à quo dicitur in ædificijs area pes magnus, & qui * negotium inſtituit pedem poſuiſſe. A' pede pecudes appellarũt, ut ab eodem pedicã,*
63 pediſſequum. Inde peculium primum: hinc peculatum furtum publicũ: ut cum quid eſſet coactum in publicũ, ſi erat auerſum. Hinc etiam peculatoriæ oues, aliud'ue quid, ex quo fructus maior, cùm pecore multa diceretur. Quod

** alias quaſi indagator*

**alias fundamentum*

Græcis

Græcis bos βοῦς: & taurus, ταῦρος: item ὄϊς ouis. ita enim antiqui dicebant, non ut nunc, πρόβατον. Poſſunt in Latio quoque, ut in Græcia à ſuis uocibus eſſe eadem ficta. Armenta, quòd boues ideò maxime parabantur, ut inde eligerent ad arandum, inde aramenta dicta: poſtea tertia littera extrita. Vitulus quòd Græce antiquitus, ἰτοῦλος, aut quòd plerique uegeti, uegitulus, Iuuencus, iuuare qui iam ad agrum colendum poſſet. Capra, carpa, à quo ſcriptum, omnicarpæ capræ. Hircus, quod Sabini fircus: & quod, illic fedus in Latio rure hedus, quod in urbe, ut in multis, A addito hædus. Porcus, quod Sabini dicunt de aprino porco poridus, inde porcus, niſi à Græcis, quod Athenis in libris ſacrorum ſcriptum eſt, κάπρω καὶ πόρκω. Aries, quod cum dicebant ares ueteres, noſtri aruigem hinc aruignus. Hæ ſunt, quarum in ſacrificijs exta in olla, non in ueru coquuntur: quas & Actius ſcribit, & in pontificalibus libris uidemus in hoſtijs eam aruigem, quæ cornua habet: quoniam is, cui oui mari teſticuli dempti, eſt ideo ut natura uerſa, ueruex declinatus. Pecori ouilo quòd agnatus, agnus. Catulus à ſagaci ſenſu, & acuto. Hinc canis, niſi quòd tuba, & cornu, ſignum cum dant, canere dicuntur: quod hic item, & nocticulus in cuſtodia, & uenando ſignum uoce dat, canis dictus. Ferarum uocabula item partim peregrina, ut panthera, leo: utraque Græca: à quo etiam & rete quoddam panther, & leæna, & muliercula Pantheris. Tigris, qui eſt ut leo uarius, qui uiuus capi adhuc non potuit, uocabulum è lingua Armenia: nam ibi & ſagitta, & quod uehementiſſimum flumen, dicitur Tigris. Vrſi Lucana origo, uel,

unde

unde illi, noſtri ab ipſius uoce. Camelus ſuo nomine Syriaco in Latium uenit: ut Alexandria Camelopardalis nuper adducta, quòd erat figura ut camelus, maculis ut panthera. Apri ab eo quòd in locis aſperis, niſi à Græcis, quòd hi κάπρος. Caprea à ſimilitudine quadam capræ. Cerui, quòd magna cornua gerunt, mutato G in C, ut in multis, quaſi gerui. Lepus, quòd è Siculis quidam Græci dicunt λέποριν, à Roma quod orti Siculi, ut annales noſtri ueteres dicunt, fortaſſe hinc illuc tulerunt, & hic reliquerunt id nomen. Volpes, ut Aelius dicebat, quòd uolat pedibus. Proxima animalibus ſunt ea, quæ uiuere dicuntur, neque habere animam, ut uirgulta. Virgultum dicitur à uiridi, idq; à ui quadam humoris: quæ ſi exaruit, moritur. Vitis, quòd ea uini origo. Malum, quòd Aeoles dicunt μᾶλον. Nux iuglans, quòd hæc nux antequam purgetur, ſimilis glandi. Hæc glans optima, & maxima, ab Ioue, & glande iuglans eſt appellata. Eadem nux, quòd ut nox aërem, ita huius ſuccus facit corpus atrum. Quæ in hortis naſcuntur, alia peregrinis uocabulis, ut Græcis, ocymum, menta, ruta, quam nunc πήγανον appellant. Item caulis, lapathium, radix: ſic enim antiqui Græci, quam nunc raphanum. Item ex Græcis uocabulis ἕρπυλλον, ῥόδον, addita, & commutata una litera ſerpyllum, roſa. Item Græca κορίανδρον, μαλάχη, κυμίνον. Item Latina liliũ ἀπὸ λιρίου, & malua à μαλάχης, & ſuſimbriũ ἀπὸ συσιμβρίου. Vernacula lactuca à lacte, quòd olus id habet lac. Braſſica ut præſeca, quòd ex huius ſcapo minutatim præſecatur. Aſparagi, quòd ex aſperis uirgultis naſcũtur, & ipſi ſcapi aſperi ſunt, nõ leues, niſi Græcũ, illic enim quoque dicitur ἀσπάραγος. Cucumeres

dicuntur

dicũtur à curuore,ut curuimeres dicti.Fructus à ferendo: res hæ, quas fundus, & hæ,quæ in fundo ferũtur,ut fruamur.Hinc declinatæ fruges, & frumentũ,ſcilicet hæ à terra,& ipſum frumentũ quod ad exta aulicoqua ſolet addi: mola, ea eſt, ex ſale, & farre molito. Vuæ ab uuore. 64

Quæ manu facta ſunt dicam, de uictu, de ueſtitu, de inſtrumento,& ſi quid aliud uidebitur his aptum. De uictu antiquiſſima puls,appellata,uel quòd ita Græci,uel ab eo,ut ſcribit Apollodorus, quòd ita ſonet, cùm aqua feruenti inſpergitur.Panis,quòd primo figuras faciebãt mulieres in panificio Panus, poſteaq; ei figuras facere inſtituerunt alias, à pane & faciendo panificium cœptum dici.Hinc panarium,ubi id ſeruabant.ſicut granarium, ubi granum frumẽti condebãt,unde id dictum,niſi ab eo quod Græci κόκκον, à quo Græcis quoque granum dictum: & in quo eadem conduntur,horreum ab horrido.Triticum, quod tritum eſt ſpicis. Far à faciendo, quòd in piſtrino fit.Milium à Græco,nam id prius μέλιν,poſt μέδιν. Libum,quòd libaretur priuſquam eſſet,ut erat,coctum.Teſtuatium quòd in teſtu caldo * coquebatur, ut etiam nunc Matralibus id faciũt matronæ.Circuli,quòd mixta farina, caſeo, & aqua circuitum æquabiliter fundebant. Hoc quidam,qui magis inconditè faciebant, uocabant lixulas, & ſemilixulas uocabulo Sabino, idq; frequentius, Sabinis à globo farinæ dilatato, item in oleo cocti, dicti à globo globuli. 65 Cruſtulum à cruſta pultis,cuius ea,quæ ut corium exuritur,cruſta dicta. Cetera ferè opera à uocabulis Græcis ſumpta, ut θρύλλον, καὶ τρύφον, & placenta. 66 Quod edebant cum pulte, ab eo pulmentum, ut Plautus:hinc pulmentarium dictum. Hoc primum fuit

* teſta calda

paſtor

paſtoribus caſeus, à coacto lacte, ut coaxeus dictus. Dein poſteaquam deſierunt eſſe contenti his, quæ ſuapte natura ferebat ſine igne, in quo erant poma, quæ nimis
67 *cruda eſſe poterant, decoquebant in olla. Ab olla olera dicta: quorum à genere cruda olera, è queis ad coquendum, quòd rueret è rure, ruapa, unde rapa. Olea ab elea, olea grandis orchitis, quòd ea antiquitus orchemora. Hinc ad pecudis carnem peruentum eſt. Suilla ſic ab illeis generibus cognominata. Hanc primo aſſam, ſecundo elixam, tertio è iure uti cœpiſſe natura docet. Dictum aſſum, quod ab igne aſſudeſcit. Vuidum eſt, quod humidum, & ideo ubi id non eſt, ſuccus abeſt, & ideo ſudando aſſum diſtillat calore: ut crudum nimium habet humoris, ſic excoctum parum habet ſucci. Elixum eſt è liquore aquæ deductum: & ex iure, quod iucundum magis conditione eſt. Succidia ab ſuibus concidendis: nam id pecus primum occidere cœperunt*
68 *domini, & ut ſeruarent, ſalere. Tergus ſuis, ab eo, quòd eo tegitur. Perna à pede ſuis. A nomine eius offula dicta, ut offa minima in ſue. Inſicia, ab eo, quòd inſecta caro, ut in carmine Saliorum eſt. Quod in extis dicitur nunc profectum, murtatum à myrto, quòd eo largè fartum inteſtinum craſſum. Lucanicam dicunt, quòd milites à Lucanis didicerunt, qui & à Falerijs Faliſcum uentrem. Fundulum à fundo: quod non ut reliquæ partes, ſed ex una parte ſola apertum: ab hoc Græcos puto τυφλὸν ἔντερον * appellaſſe. Ab eadem fartura farcimina in extis appellata, à quo, quod in eo tenuiſſimum inteſtinum fartum, hila, ab hilo dicta, id eſt, minimo, quod ait Ennius: Neque diſpendei facit hilum.*

* δύπλον

*bilum. Quod in hoc farcimine ſummo quiddam eminet, ab
eo, quòd ut in capite apex, apexabo dicta. Tertium far-
tum eſt longabo, quod longius, quàm duo hila.* * Agu= * illa.
*mentum quod ex immolata hoſtia deſectum in iecore im=
ponendo agendi cauſſa.* Magmentum *à magis, quod ad
religionem magis pertinet.* Itaque *propter hoc monta=
na fana conſtituta locis certis, quo id imponeretur ma=
ta, ab eo quod Græci* μάτιαι καὶ μάπται. Item *Græ=
ci ſigillatim, ut ouum, bulbum.* Lana *Græcum, ut* 69
Polybius, & Callimachus ſcribunt. Purpura *à purpu-
ræ maritimæ colore.* Pœnicum, *quod à Pœnis primum
dicitur adlatum.* Stamen *à ſtando, quòd eo ſtat omne
in tela uelamentum.* Subtemen, *quod ſubit ſtamini.* Tra= 70
ma, quòd ſtrameat filum, genus ueſtimenti denſum.
Denſum *à dentibus pectinis, quibus feritur.* Filum, *quod
minimum eſt hilum: id enim minimum eſt in ueſtimento.*
Pannus *Græcum: panuelum dictum à panno, & uol=
uendo filo.* Tunica *ab tuendo corpore, tunica ut indu=
ca.* Toga *à tegendo.* Cinctus, *&* cingulum *à cingendo:
alterum uiris, alterum mulieribus attributum.* Arma
ab arcendo, quòd his arcemus hoſtem. Parma, *quòd à
medio in omneis parteis par.* Conum, *quòd cogitur in
cacumen uerſus.* Haſta, *quòd ſtans ſolet ferri.* Iaculum,
quòd ut iaciatur, fit. Tragula *à traijciendo.* Scutum *à
ſectura, ut ſecutum, quòd minute confectis ſit tabellis.*
Vmbones, *aut à Græco, uel quòd ambones.* Gladius *C in
G commutato à clade, quòd fit ad hoſtium cladem gla=
dius. Similiter ab omine* pilum, *quo hoſtis periret, ut
perilum.* Lorica, *à loris, quòd de corio crudo pectora=
lia faciebant: poſtea ſuccuderunt Galli è ferro ſub id uo-
cabulum ex anulis ferream tunicam.* Balteum, *quòd cin=*

gulum è corio habebant bullatum, balteum dictum. Ocrea, quòd opponebatur ob crus. Galea ab galero, quo multi uſi antiqui. Tubæ à tubis, quos etiam nunc ita appellant tubicines ſacrorum. Cornua, quòd ea, quæ nunc ſunt ex ære, tunc fiebant ex bubulo cornu. Vallum, uel quòd ea uaricare nemo poßit, uel quòd ſingula ibi extrema bacilla furcillata habent figuram litteræ V. Cerui à ſimilitudine cornuum cerui. Item reliqua ferè ab ſimilitudine, ut uineæ, teſtudo, aries.

Menſam eſcariam cibillam appellabant: ea erat quadrata, ut etiam nunc in caſtris eſt: à cibo cibilla dicta, poſtea rotunda facta: & quòd à nobis media, à Græcis μέσα, menſa dici poteſt, niſi etiam quod ponebant pleraque in cibo menſa. Trulla à ſimilitudine truæ, quæ quòd magna, & hæc puſilla, ut truula. Hinc Græci τρυβλίον, nos trullam. Truæ, quæ à culina in lauatrinam aquam fundunt. Trua, quòd trauolat ea aqua, ab eodem eſt appellatum trulleum: ſimile enim figura, niſi quòd latius concipit aquam, & quòd manubrium cauum non eſt, niſi uinaria trulla acceßit. Matellio à matula dictus, & dictus poſteaquam longius à figura matulæ diſceßit: & ab aqua aqualis dictus. Vas aquarium uocant futum, quo in triclinio allatam aquam infundebant: quò poſtea acceßit μάγνιες cum Græco nomine: & cum Latino nomine Græca figura barbatus. Peluis, à pedum lauatione, ut pedeluis. Candelabrum à candela: ex his enim funiculi ardentes figebantur. Lucerna pòſt inuenta, quæ dicta à luce, aut quòd id uocant Græci λύχνον. Vas in menſa eſcaria, ubi pultem, aut iurulenti quid ponebant, à capiendo catinum nominauerunt: niſi quòd Siculi dicunt κάτινον, ubi aſſa ponebant. Magidam aut langulam, al-

terum

terum à magnitudine, alterum ab latitudine finxerunt. Patinas à patulo dixerunt; ut puſillas, quòd his libarent cænis patellas: Triplia, & caniſtra, quæ putant eſſe Latina, ſunt Græca, τρυϐλίον enim καὶ κανέον Græca ſunt. Reliqua quòd aperta ſint, unde ſint, relinquo. Menſam uinariam rotundam nominabant: cylibathum, ut etiam nunc in caſtris: id uidetur declinatum à Græco ἀπὸ τῆς κύλικος, qui illa capit: & minores capulæ* à capiendo, quòd anſatæ; ut prœhendi poßint, id eſt capi. Harum figuras in uaſis ſacris ligneas & fictiles antiquas etiam nunc uidemus. Præterea in poculis erant pateræ, eo quòd pateant, Latinè ita dictæ. Hiſce etiam nunc in publico conuiuio antiquitatis retinendæ cauſſa, cùm magiſtri fiunt, potio circunfertur, & in ſacrificando deis; hoc poculo magiſtratus dat deo uinum. Pocula à potione: unde potatio, & etiam poma, quòd hæc poſcunt potum: ἀπὸ τοῦ πότου Græca origo potionis. Aqua; quòd æqua ſumma. Fons unde funditur è terra aqua uiua, ut fiſtula aquæ, fuſus aquæ. Vas uinarium grandius ſinum ab ſinu, quod ſinum maiorem cauationem, quàm pocula habebat. Item dicta depeſta etiam nunc in diebus ſacris Sabinis; uaſa uinaria in menſa deorum poſita. Apud antiquos ſcriptores Græcos inueni appellari poculi genus δεπέσναν. Quare uel inde ra- 71 dices in agrum Sabinum, & Romanum ſunt profectæ. Quo uinum dabant; ut minutatim funderent, à guttis guttum appellarunt: & quo ſumebant minutatim, à ſumendo, ſimpulum nominauere. In huiſce locum in conuiuijs è Græcia ſucceßit epichyſis, & cyathus: in ſacrificijs remanſit guttum: & ſimpulum. Altera uinaria menſa erat lapidea, quadrata, oblonga, una, co-*

*Tryblia

*capides

lumella, uocabatur cartibulum. Hæc in ædibus ad compluuium, apud multos me puero ponebatur, & in ea, & cum ea ænea uaſa, à gerendo gertibulum, unde cartibulum pòſt dictum. Præterea erat tertium genus *menſæ, & quadratæ uaſorum, uocaturq; urnarium, quòd urnas cum aqua poſitas ibi potiſsimum habebant in culina.* Ab eo etiam nunc ante balineum locus, ubi poni ſolebant urnæ, urnarium uocatur. Vrnæ dictæ, quòd urinant in aqua haurienda, ut urinator. Vrinare, eſt mergi in aquam. Imburum fictum ab urbo, quod ita flexum, ut redeat ſurſum uerſus, ut in aratro, quod eſt urbum.* Calix à caldo, quòd in eo calda puls apponebatur, & caldum eo bibebant. Vas, ubi cibum coquebant, ab eo cacabum appellarunt. Veru à uerſando. Ab ſedendo appellantur ſedes, ſedile, ſolium, ſellæ, ſeliquaſtrum. Deinde ab his ſubſellium, ut ſubſipere, quod non planè ſapit: ſic quod non planè erat ſella, ſubſellium dictum: ubi in eiuſmodi duo, biſſellium dictum. Arca, quòd arcentur fures ab ea clauſa. Armarium, & armamentarium * ab eadem origine, ſed declinata aliter. Mundus muliebris, dictus à munditia. Ornatus, quaſi ab ore natus. Hinc enim maximè ſumitur, quòd eam deceat. Itaque ob id paratur ſpeculum. Calamiſtri, quod his calefactis in cinere capillus ornatur. Qui ea miniſtrabat, à cinere cinerarius eſt appellatus. Diſcerniculum, quo diſcernitur capillus. Pecten, quòd per eum explicatur capillus. Speculum, à ſpeciendo, quòd ibi ſpectant. Veſtis à uelis: uel ab eo quòd uellus lana tonſa uniuerſæ ouis. Id dictum, quòd uellebant lanam: ex lana facta ueſtis. Quod capillum contineret, * dictum à rete reticulum. Rete ab raritudine.

*bura

*armamentum

*retineret

Item

Item texta faſciola, qua capillum in capite colligarent, dictum capital à capite, quod ſacerdotulæ in capite etiam nunc ſolent habere. Sic rica à ritu, quòd Romano ritu ſacrificium fœminæ cùm faciunt, capita uelant. Mitra, & reliqua ferè in capite, poſtea addita cum uocabulis Græcis. Prius de indutu, aut amictu quæ ſunt, tangam. Capitium ab eo, quòd capit pectus, id eſt, ut antiqui dicebant, indutu comprehendit: alterum quod ſubtus, à quo ſubucula: alterum quod ſuprà, à quo ſupparus: niſi quod id dicunt Oſce. Alterius generis item duo, unum quod foris, ac palam, palla: alterum quod intus, à quo intuſium: id quod Plautus dicit: Intuſiatam, patagiatam, caltulam, aut crocotulam. Multa pòſt luxuria adtulit: quorum uocabula apparent eſſe Græca, ut ἀσβεστον. Amictus eſt dictum amiectum, id eſt, circumiectum, à quo etiam quo ueſtes ſe inuoluunt, circumiectum appellant: & quòd amictui habent purpuram circum, uocant circumtextum. Antiquiſsimi amictui ricinium, id quod eo utebantur duplici: ab eo quòd dimidiam partem retrorſum iacebant, ab reijciendo ricinium dictum. Hinc quòd facta duo ſimplicia paria, parilia primo dicta: reclusum propter leuitatem, παραπληκεία, χλάμυς, ſic multa Græca. Læna, quòd de lana multa: duarum enim togarum inſtar, ut antiquiſsimum mulierum ricinium, ſic hoc duplex uirorum. Inſtrumenta ruſtica, quæ ſerendi, aut colligendi fructus cauſſa facta. Sarculum à ſerendo ac ſarriendo. Ligo, quòd eo propter latitudinem, quod ſub terra facilius legitur. Pala à pangendo, G in L mutatum quòd fuit. Rutrum ut ruitum, à ruendo. Aratrum, quòd eruit terram. Eius ferrum uomer,

quòd uomit eo plus terram. Dens, quòd eo mordetur terra. Supra id regula, quæ ſtat, ſtiua à ſtando: & in ea tranſuerſa regula, manicula, quòd manu bubulci teneatur, qui quaſi eſt temo inter boues. Bura à bubus, alij hoc à curuo curuum appellant. Sub iugo medio couum, quo bura extrema addita oppilatur, uocatur couum à cauo. Iugū, & iumentum, à iunctu. Irpices, regula cum pluribus dentibus, quam item ut plauſtrum boues trahunt, ut eruant, quæ in terra ſunt, ſirpices, poſtea S detrita à quibuſdam dicti. Raſtelli, ut irpices, ſerræ leues, ita, quia homo in pratis per ſeniſecia eo feſtucas abradit, quo ab raſu raſtelli dicti. Raſtri, quibus dentalibus penitus eradunt terram, atque eruunt, à quo & rutabri dicti. Falces, à farre, littera commutata. Hæ in Campania ſeculæ à ſecando. A quadam ſimilitudine harum, aliæ: ut quod apertum, unde falces fenariæ, & adoreæ: & quod non apertum, unde lumariæ falces, & ſirpiculæ. Lumariæ ſunt, quibus ſecant lumecta, cùm in agris ſerpunt ſpinæ, quas quòd à terra agricolæ ſoluunt, id eſt, luunt, lumecta. Sirpiculæ uocatæ à ſirpando, id eſt, ab alligando. Sic ſirpata dolia quaſſa, cum alligata dicta. His utuntur in uinea alligando faſces, inciſos fuſtes, faculas: has phancillas, Cherſoneſicæ dicunt faſces. L & S inter ſe ſæpe cōmutant. Pilum, quòd eo far pinſunt. Id ubi fit piſtrinū. Inde poſt in urbe locelli, piſtrina, & piſtrix. Trapetes, molæ oleariæ uocātur. Trapetes à terendo, niſi Græcum. Molæ à molendo: harum enim motu eo cōiecta moluntur. Vannum à uolatu, quòd cùm id iactant, uolant inde leuia. Ventilabrum, quo uentilatur in aëre frumentum. Quibus comportantur fructus ac neceſſariæ res de ijs fiſcinæ

à fer

*à ferendo dictæ. Corbes ab eo quòd ſpicas, aliud'ue quid corruebant. Hinc minores corbulæ dictæ. De his, quæ iumẽta ducunt. Tragula ab eo, quòd trahitur per terrã. Sirpea, quæ uirgis * ſirpatur, id eſt, colligando implicatur, in* * iuncis *qua ſtercus, aliud'ue quid euehitur. Vehiculum, in quo faba, aliud'ue quid uehitur, quo ex uiminibus uterentur, & quòd eo uehitur, breuis ueha uehiculum dictum eſt. Ab alijs etiam dictum arcera, quæ etiam in duodecim Tabulis appellatur: quod ex tabulis uehiculum erat factum ut arca, arcera dictum. Plauſtrum ab eo, quod non, ut in his, quæ ſuprà dixi, ſed ex omni parte palàm ſunt, quæ in eo uehuntur, quòd perlucent lapides, aſſeres, tignum. Aedificia nominata à parte, ut multa: ab ædibus, & faciendo. Maximum ædificium eſt oppidum ab ope dictum, quod munitur opis cauſſa, ubi ſint, & quod opus eſt ad uitam gerendam, ubi habitent tutò: uel oppida, quòd opere munibant: mœnia, quo munitius eſſent. Quod exaggerabant, aggeres dicti: & quod aggerem contineret, murus: quòd muniendi cauſſa manu parabatur, quo ſepiebant oppidum, è quo munere, murus. Eius ſumma pinnæ, ab his, quas inſigniti milites habere in galeis ſolent, & in gladiatoribus Samnites. Turres à toruis, quòd hæ proſpiciunt ante alios. Quà uiam relinquebant in muro, qua in oppidum portarent, portas. Oppida condebant in Latio, Etruſco ritu multa, id eſt, iunctis bubus tauro, & uacca interiore aratro circumagebant ſulcum. Hoc faciebant religionis cauſſa die auſpicato, ut foſſa, & muro eſſent munita. Terram unde excalpſerant, foſſam uocabant, & introrſum factum murum. Poſtea quòd fiebat orbis, urbs. Principium, quod erat poſt murum, pomerium di-*

ctum, eiuſq; ambitu auſpicia urbana finiuntur. Cippi pomerij ſtant, & circum Ardolam Ardeam, & circum Romam. Quare & oppida, quæ prius erant circumducta aratro, ab orbe, & urbo urbes: & ideo coloniæ noſtræ omnes in litteris antiquis ſcribuntur urbes, quòd item conditæ, ut Roma: & ideo coloniæ ut urbes conduntur, quòd intra pomerium ponuntur. Oppidum quod primum conditum in Latio ſtirpis Romanæ Lauinium. Nam ibi dij penates noſtri. Hoc à Latini filia, quæ coniuncta Aeneæ, Lauinia appellata. Hinc poſt triginta annos oppidum alterum conditur Alba, id ab ſue alba nominatum. Hæc è naui Aeneæ cùm fugiſſet Lauinium triginta parit porcos. Ex hoc prodigio poſt Lauinium conditum annis triginta, hæc urbs facta, propter colorem ſuis, & loci naturam, Alba Longa dicta. Hinc mater Romuli Rhea, ex hac Romulus, hinc Roma.

In oppido uici à uia, quòd ex utraque parte uiæ ſunt ædificia. Fundula à fundo, quod exitum non habet, ac peruium non eſt iter. Angiportum, & id anguſtum, ab angendo, & portu. Quo conferrent ſuas controuerſias, & quæ uendere uellent, & quo quæq; ferrent, forum generatim appellarunt. Vbi quid additum, ab eo cognomen, ut boarium forum, forũ olitoriũ. Hoc erat antiquũ macellum, ubi olerum copia. Ea loca etiam nunc Lacedæmonij uocãt μακελλώτας: ſed Iones oſtia hortorũ, & caſtelli μακέλλυς. Secundum Tiberim ad Iunonium, forum piſcarium
73 *uocãt. Ideò ait Plautus: Apud piſcarium. Vbi uariæ res ad*
74 *Corneta, forum cupedinis, à Cupedio: quod multi forum cupidinis, à cupiditate. Hæc omnia poſtquam contracta in unum locum, quæ ad uictum pertinebant, & ædifi-*

catus

catus locus, appellatũ macellum, ut quidam ſcribũt, quòd ibi fuerit hortus, alij quòd ibi domus fuerit, cui cognomen fuit Macellus, *quæ ibi publicè diruta, è qua ædificatum hoc, quod uocatur ab eo macellũ.* In *foro lacum* Curtium *à Curtio dictum conſtat, de eo triceps hiſtoria.* Nam *&* Procilius *non idem prodidit, quod Piſo, nec quod is,* C. Aelius Stilo *ſecutus.* A Procilio *relatũ in eo loco dehiſſe terram, & ex ſenatuſconſulto ad haruſpices relatum, eſſe reſponſum deum* Manium Poſtulionem *poſtulare, id eſt, ciuem fortiſſimum eodem mitti: tum quendam Curtium uirum fortem armatum aſcendiſſe in equum, & à Concordiæ uerſum, cum equo in eum præcipitatum: eo facto, locum coiſſe, atque eius corpus diuinitus humaſſe, & reliquiſſe genti ſuæ monumẽtum.* L. Calpurnius Piſo *in annalibus ſcribit,* Sabino *bello, quod fuit* Romulo, *&* Tatio, *uirum fortiſſimum* Metium Curtium Sabinum, *cùm* Romulus *cum ſuis ex ſuperiore parte impreſſionem feciſſet, Curtium in locum paluſtrem, qui tum fuit in foro, antequam cloacæ ſint factæ, ſeceſſiſſe, atque ſuos in capitolium recepiſſe.* Ab *eo lacum inueniſſe nomen.* C. Aelius, *&* Q. Lutatius *ſcribunt eum locum eſſe fulguratum, & ex ſenatuſconſulto ſeptum eſſe, idq; factum eſſe à Curtio conſule, cui* Marcus Genutius *fuit collega, Curtium appellatum.* Arx *ab arcendo, quòd is locus munitiſſimus urbis, à quo facilimè poſſit hoſtis prohiberi. Carcer à coercendo, quod exire prohibet.* In *hoc pars, quæ ſub terra,* Tullianum, *ideo quòd additum à* Tullio *rege: quod Syracuſis, ubi ſimuli de cauſſa cuſtodiuntur, uocantur latomiæ: & de latomia translatum, quod hic quoque lapicidinæ fuerunt.* Inde *lauretum, ab eo quòd ibi ſepultus eſt* T. Tatius *rex, qui à* Laurentibus *interfectus eſt: ab ſilua*

*laurea,quòd ea ibi exciſa,ex ædificatus uicus,& inter ſa-
cram uiam, & macellum editus. Corneta à corneis, quæ
abſciſſæ loco reliquerunt nomen. Vt eſculetum ab eſculo
dictum: & fagutal à fago: inde etiam quod ibi ſacel-
lum,Iouis Fagutalis. Armiluſtrum ab ambitu luſtri,locus.
Item Circus maximus dictus, quòd circum ſpectaculis
ædificatis,ibi ludi fiunt,& quòd ibi circum metas fertur
pompa, & equi currunt. Itaque dictum in Cornicularia
76 mulieris ad reſtim,quem circumeunt ludentes: Quid ceſ-
ſamus ludos facere? Circus noſter ecce adeſt. In circo pri-
mo,unde mittuntur equi, nunc dicũtur carceres: Næuius
oppidum appellat. Carceres dicti, quòd coercentur equi,
ne inde exeant antè,quàm magiſtratus ſignum miſit. Op-
pidũ, quòd à muri parte pinnis turribusq; carceres olim
* Ennius fuerunt: ſcripſit poëta: * Dictator ubi currum inſidit,
peruehitur uſque ad oppidum. Intimus circus ad Mur-
* Murcis tium* uocatus,ut Procilius aiebat,ab urceis,quòd is locus
eſſet inter figulos: alij eſſe dicunt à murteto declinatum,
quòd ibi id fuerit: cuius ueſtigium manet,quòd ibi ſacel-
lum, etiam nunc Murtiæ Veneris. Item ſimili de cauſſa
circus Flaminius dicitur,qui ædificatus eſt circum Flami-
nium campum, & quòd ibi quoque ludis Tauriceis cir-
cum metas currunt. Comitium ab eo,quòd coibant eò co-
mitijs curiatis,& litium cauſſa. Curiæ duorum generum:
nam & ubi curarent ſacerdotes res diuinas: ut curiæ ue-
teres: & ubi ſenatus humanas, ut curia Hoſtilia,cuius id
uocabulum,quod primus ædificauit Hoſtilius rex,ſub ue-
teribus. Ante hãc roſtra,ex hoſtibus capta fixa ſunt. Sub
dextra huius à comitio locus ſubſtructus, ubi nationum
ſubſiſterent legati, qui ad ſenatum eſſent miſsi. Is Græ-
coſtaſis appellatur à parte, ut multa. Senatulum ſupra*

*coſtaſin,ubi ædes Concordiæ,& baſilica Opimia.Senatu- 77
lum uocatum, ubi ſenatus,aut ubi ſeniores conſiſterent,
dictum ut γερουσία apud Græcos. Lautolæ à lauando,
quòd ibi ad Ianum Geminum aquæ calidæ fuerunt. Ab his
palus fuit in minore uelabro,à quo, quòd ibi uehebantur
lintribus, uelabrum, ut illud maius, de quo ſuprà dictum
eſt. Aequimelium, quòd æquata Melij domus publicè,
quòd regnum occupare uoluit is. Locus ad buſta Gallica,
quòd Roma recuperata, Gallorum oſſa, qui poſſederunt
urbem, ibi coaceruata ac conſita. Eſt locus, qui uocatur
Doliola, ad cloacam maximam, ubi non licet deſpuere, à
doliolis ſub terra. Eorum duæ traditæ hiſtoriæ:quòd alij 78
eſſe aiunt oſſa cadauerum: alij Numæ Pompilij religioſa
quædam poſt mortem eius infoſſa. Argiletum ſunt, qui
ſcripſerunt ab Argo,ſeu quòd is hùc uenit,ibiq; ſepultus
ſit:alij ab argilla, quòd ibi id genus terræ. Cliuus Publi-
cius,ab ædilibus plebei Publicijs,qui cum publicè ædifica
runt. Simili de cauſſa Publilius uicus, & Coſconius uicus,
quòd ab his uiris dicuntur ædificati. Cliuus proximus ad
florales uſus uerſus Capitolium uetus,quòd ibi ſacellum
Iouis,Iunonis, Mineruæ: & id antiquius,quàm ædis,quæ
in capitolio facta. Exquilijs uicus Africus, quòd ibi obſi-
des ex Africa bello Punico dicuntur eſſe cuſtoditi. Vicus
cyprius à cypro, quòd ibi Sabini ciues additi cõſederunt,
qui à bono omine id appellarunt. Nam cyprum Sabinè
bonũ. Prope hũc uicus ſceleratus dictus à Tullia Tarqui-
nij Superbi uxore, quòd, ibi cùm iaceret pater occiſus,
ſupra eum ut mitte: et * carpentũ mulio,iuſſit. Et quoniã*
uicus conſtat ex domibus,nũc earum uocabula uideamus.
Domus Græcum eſt: & ideo in ædibus ſacris ante cel-
lam, ubi ſedes dei ſunt, Græci dicunt πρόδομον: quod*

* inijceret

pòſt

poſt, ὀπισθόδομον. Aedeis ab aditu, quòd plano pede adibāt. Itaq; ex ædibus efferri indictiuo funere præco etiā eos dicit, qui è tabernis efferuntur, & omnes in cenſu uillas inde dicimus ædes. Cauum ædium dictum, qui locus tectus intra parietes relinquebatur patulus, qui eſſet ad communem omnium uſum. In hoc locus ſi nullus relictus erat, ſub diuo qui eſſet, dicebatur teſtudo à teſtudinis ſimilitudine, ut eſt in prætorio in caſtris. Si relictum erat in medio, ut lucem caperet deorſum, quo impluebat, impluuium dictum: & rurſum, quà compluebat, compluuium, utrumque à pluuia. Tuſcanicum dictum à Tuſcis, poſteaquam illorum cauum ædium ſimulare cœperunt. Atrium appellatum ab Atriatibus Tuſcis: illinc enim exemplum ſumptum. Tum circum cauum ædium erāt uniuſcuiuſque rei utilitatis cauſſa parietibus diſſepta: ubi quid conditum eſſe uolebant, à cælando cællam appellarūt. Penariam, ubi penus. Vbi cubabant, cubiculum: ubi cænabant, cænaculum uocitabant. Vt etiam nunc Lanuuij apud ædem Iunonis, & in cetero Latio, ac Falerijs, & Cordubæ dicūtur. Poſteaquam in ſuperiore parte cænitare cœperunt, ſuperioris domus uniuerſa cænacula dicta. Poſteaquam ubi cænabāt, plura facere cœperunt, ut in caſtris, ab hieme hiberna, hi-

* potius *hibernū* *bernū domus uocarunt: contra æſtiuum,* * DESVNT

* *Tullinæ* PAGINAE TRES. * *religionē Porcius* * *deſignat, cùm de Ennio ſcribens dicit eum coluiſſe Tutilinæ* * *loca. Sequitur porta Næuia, quòd in nemoribus Næuijs. Næuius enim loca, ubi ea ſic dicta, coluit. Deinde porta Rauduſcula, quòd ærata fuit, & æs raudus dictum, ex eo in ueteribus mancupijs ſcriptum: Rauduſculo libram ferito. Hinc porta Lauernalis ab ara Lauernæ, quòd ibi ara eius deæ. Præterea intra muros uideo portas dici: in Palatio*

tio Mugionis, à mugitu, quòd ea pecus in Bucitatum antiquum oppidum exigebant. Alteram Romanulam, quæ eſt dicta ab Roma, quæ habet gradus in naualia ad Volupiæ ſacellum. Tertia eſt Ianualis dicta ab Iano, & ideo ibi poſitum Iani ſignum, & inſtitutum à Numa Pompilio, ut ſcribit in annalibus L. Piſo, ut ſit clauſa ſemper, niſi cùm bellum ſit. Nuſquam traditũ eſt memoriæ Pompilio rege fuiſſe apertam: & poſt T. Manlio conſule, bello Carthaginienſi primo cõfecto, eodẽ anno apertam. DESVNT QVAEDAM. *Super lectulis origines, quas aduerti, hæ. Lectica, quòd legebant unde eam facerent, ſtramenta, atque herbas: & ut etiam nunc fit in caſtris, lectos ne eſſent in terra, ſublimes in his ponebant: niſi ab eo quod Græci antiqui dicebant λέκτρον, lectum potius, quàm lecticam. Quo inuoluebant, quòd ferè ſtramenta erant è ſegete, ſegeſtriam appellant, aut etiam nunc in caſtris: niſi à Græcis: nam στέγαστρον, ubi lectus mortui fertur, dicebant. Feretrum noſtri, Græci φέρτρον ἢ φέρετρον. Poſteaquam tranſierũt ad culcitras, quòd in ea ſagum, aut tomentum, aliud'ue quid calcabant, ab inculcando culcitra dicta: ac quicquid inſternebant, à ſternendo ſtragulum appellabãt. Puluinar uel à pellulis* * *declinarunt. Quibus operiebantur, operimenta, & pallia, opercula dixerunt. In his multa peregrina, ut ſagum, Reno Galli quid gaunacumma* 80
eius ſagum, & amphimalon, Græca: contra Latinum toral, quod ante torũ, & torus à toruo, quòd is in promptu: ab hac ſimilitudine toruinus * *in mulieris capite ornatus. Quia ſimplici ſcanſione ſcandebant in lectum non altum, ſcabellum: in altiorem, ſcamnum: duplicata ſcanſio, gradus dicitur, quòd gerit ab inferiore in ſuperiorem. Græca ſunt periſtromata, & peripetaſmata. Sic aliud aliquid*

* pellibus

* torulus

quid item conuiuij cauſſa ibi. Multa pecuniæ ſignatæ uocabula ſunt: æris, & argenti hæc. As ab ære. Dupondius, à duobus ponderibus: quòd unum pondus aßipondium dicebatur: id ideò, quòd as erat libræ pondus: deinde ab numero reliquū dictū uſq; ad centußis; ut as ſingulari numero. Ab tribus aßibus treßis, & ſic proportione uſque ad nonußis. In denario numero hoc mutat: quòd primum eſt, ab decem aßibus decußis: ſecundum à duobus decußibus uiceßis: quod dixi ſolum à duobus decußibus uiceßis. Reliqua conueniūt, ut triceßis à tribus, ſic proportione uſque ad centußis; quo maius æris uocabulum non eſt. Nam ducenti in * proportione cùm dicuntur, non magis aſſes, quàm denarij, aliæ ue res ſignificantur. Aeris minima pars ſextula, quòd ſexta pars unciæ. Semūcia, quòd dimidia pars unciæ. Se ualet dimidium, ut in ſelibra; & ſemodio. Vncia, ab uno. Sextās, ab eo quòd ſexta pars aßis, ſic ut quadrans, quòd quarta, & triens, tertia pars. Semis quòd ſemias, id eſt, dimidium aßis, ut ſuprà dictum eſt. Septunx, à ſeptem, & uncia conliſum. Reliqua obſcuriora, quòd ad deminutionem; & ea quæ deminuuntur, ita ſunt, ut extremas ſyllabas habeant: ut à duodecim una dempta uncia, deunx. Dextans, dempto ſextante. Dodrans, dempto quadrante. Bes, ut olim des, dempto triente. In argento nummi, id à Siculis. Denarij, quòd denos æris ualebant. Quinarij, quòd quinos. Seſtertius, quòd ſemis tertius. Dupondius enim & ſemis antiquus ſeſtertius eſt, & ueteris conſuetudinis, ut retrò æra dicerentur ita, ut ſemis tertius, ſemis quartus pronuntiarent. Seſtertius igitur, ab ſemis tertius dictus. Nummi denarij decuma libella, quòd libram pondo as ualebat, & erat ex argento parua. Sembella, quòd ſit libellæ dimidium, quod ſemis aßis. Terun-

* ducenties

cius

cius à tribus uncijs, ſembellæ quod ualet dimidium, & eſt quarta pars, ſic ut quadrans aßis. Eadẽ pecunia uocabulum mutat. Nam poteſt idem dici dos, *arrabo, merces, corollarium.* Dos erit *pecunia, ſi nuptiarum cauſſa data: hæc Græce* δωτίνη, *ita enim hoc Siculi: ab eodẽ donum.* Nam *Græce ut ipſi* δῶρον, *ut alij* δόμα, *& ut* Attici δόσις. *Arrabo ſic dicta, ut reliquum reddatur: hoc uerbum à Græco* ἀῤῥαβών. Reliquum *ex eo, quòd debitum reliquit.* Damnum, *à demptione, cùm minus re factum, quàm quãti conſtitit.* Lucrum, *ab luendo, ſi amplius, ex eo luerit, quàm, quanti eſſet ceptum.* Detrimentum, *à detritu, quòd ea quæ trita, minoris pretij. Ad eadem intertrimẽtum, ab eo quòd duo, quæ inter ſe trita, & deminuta: à quo etiam intrigo dicta, & intertrigo. Multa, pecunia quæ à magiſtratu dicta, ut exigi pôßit ob peccatum: quo ſingulæ dicuntur appellatæ eſſe multæ, quòd olim unum dicebant multa.* Itaque *cùm in dolium, aut culeum uinum addunt ruſtici, prima urna addita, dicunt etiam nunc multa.* Pœna, *à puniendo, uel à pœnitendo, quòd poſt peccatum ſequitur.* 84 Pretium, *quòd æſtimationis, emptionis ue cauſſa conſtituitur, dictum à peritis, quòd hi ſolùm poſſunt facere rectè, id. Si quid datum pro opera, aut opere, merces à merẽdo. Quod manu factum erat, & datum pro eo, manupretium, à manibus & pretio.* Corollarium, *eſt additum præter, quàm quod debitum: eius uocabulum fictum à corollis: quòd hæ: cùm placuerant actores, in ſcena dari ſolitæ.* Præda *eſt ab hoſtibus capta, quòd manu parta, ut parida, præda.* Præmium, *à præda, quòd ob rectè quid factum conceſſum. Si datur, quod reddatur, mutuum, quod Siculi* μοῖτον. *Ita ſcribit* Sophron μοῖτον ἀντιτίθημι. *Et munus, quod mutuo animo qui ſunt, dant officij cauſſa. Alte-*

rum munus,quod muniendi cauſſa imperatum,à quo etiã municipes,qui unà manus fungi debent,dicti. Ea pecunia, quæ in iudicium uenit in litibus,ſacramẽtum à ſacro. Qui petebat, & qui inficiabatur, de alijs rebus, utrique quinquagenos * æris ad pontificem deponebant, de alijs rebus item certo alio legitimo numero aßium. Qui iudicio uicerat, ſuum ſacramentum à ſacro auferebat, uicti ad ærarium redibat. Tributum dictum à tribubus, quòd ea pecunia, quæ à populo imperata erat, tributim à ſingulis pro portione cenſus exigebatur. Ab hoc ea,quæ adſignata erat, adtributum dictum. Ab eo quoque quibus adtributa erat pecunia, ut militi reddant, tribuni ærarij dicti.

* quingentos

86 Id,quod adtributũ erat,æs militare:hoc eſt,quod ait Plautus: Cedit miles,æs petit: & hinc dicuntur milites ærarij, ab ære,quòd ſtipendia facerent. Hoc ipſum ſtipendium ab ſtipe dictum, quòd æs quoque ſtipem dicebant. Nam quòd aſſes libræ pondo erant,qui acceperãt maiorem numerum,non in arca ponebant,ſed in aliqua cælla ſtipabãt, id eſt,componebant,quo minus loci occuparet: à ſtipando ſtipem dicere cœperunt. Stipare ab στείβειν fortaſſe Græco uerbo. Id apparet,quòd ut aliàs,inſtitutum, tum etiam nunc dijs cùm theſauris aſſes dant, ſtipem dicunt: & qui pecuniam alligat,ſtipulari & reſtipulari. Milites ſtipendiarij ideò, quòd eam ſtipem pendebant. Ab eo Ennius ſcribit: Pœni ſtipendia pendunt. Ab eodem ære impendendo diſpenſator:& in tabulis ſcribimus expenſum:& inde prima penſio, & ſic aut ſecunda, aut quæ alia: & diſpendium ideo, quòd in diſpendendo ſolet minus fieri. Compendiũ, quod cùm compenditur,una fit. A quo uſura quòd in ſortem accedebat, impendium appellatum: quæ cùm accederet ad ſortẽ, ex uſu uſura dicta,ut ſors, quòd

ſuum

ſuum ſit ſorte. Per trutinam ſolui ſolitum, ueſtigium etiam nunc manet in æde Saturni, quòd ea etiam nunc propter penſuram, trutinam habet poſitam. Ab aere aerarium appellatum. Ad uocabula, quæ pertinere ſumus rati, ea, quæ & loca, & ea, quæ in locis ſunt, ſatis arbitror dicta: quod neque parum multa ſunt aperta, neque ſi amplius uelimus, uolumen patietur. Quare in proximo, ut in primo libro dixi, quod ſequitur de temporibus dicam.

M. TERENTII VARR.
DE LINGVA LATINA,
Liber quintus ad M. Tullium *Ciceronem.*

*

ORIGINEIS *uerborum, quæ ſunt locorum, & quæ in his, in priore libro ſcripſi: in hoc dicam de uocabulis temporum, & earum rerum, quæ in agendo fiunt, aut dicuntur cùm tempore aliquo, ut ſedetur, ambulatur, loquitur. Atque ſi qua erunt ex diuerſo genere adiuncta, potius cognationi uerborum: quàm auditori calumnianti geremus morem. Huius rei auctor ſatis mihi Chryſippus, & Antipater, & illi, in quibus, & ſi non tantum acuminis, at plus litterarum, in quo eſt Ariſtophanes, & Apollodorus, Qui omnes uerba ex uerbis ita declinari ſcribunt, ut uerba litteras alia adſumãt, alia amittant, alia commutent, ut fit in turdo, in turdario, in turdelice. Sic declinantes Græci noſtra nomina dicunt Lucianum* λευκιανὸν, *&* Quintium κοΐντιον, ἀρίςαρχον *illi, nos Ariſtarchum, &* δίωνα *Dionem: ſic, inquam, con-*

ſuetudo noſtra multa declinauit, ut à uetere uetuſtum, ab ſolo ſolum, ab libero liberum, ab laſibus lares: quæ obruta uetuſtate, ut potero eruere conabor. Dicemus primò de temporibus, & quæ per ea fiunt. Sed ita ut antè de natura eorum. Ea enim dux fuit ad uocabula imponenda homini. Tempus eſſe dicunt interuallum mundi, & motus. Id diuiſum in parteis aliquot, maximè ab ſolis & lunæ curſu. Itaque ab eorum tenore temperato tempus dictum: unde tempeſtiua: & à motore eorum, qui à toto cælo coniunctus mundus dio, motus caſu uenit, à quo tempus id, ab hoc dio dies appellatur. Meridies ab eo quòd medius dies. D antiqui, non R in hoc loco dicebant, ut Præneſte inciſum in ſolario uidi, quod Cornelius in baſilica Aemilia, & Fuluia inumbrauit. Diei principium manè, quòd tum manat dies ab oriente, niſi potius quòd bonum antiqui dicebant manum: ad cuiuſmodi religionem Græci quoque: cùm lumen adfertur, ſolent dicere, φῶς ἀγαθόν.

*ſuperrimo

Suprema ſummum diei: id à ſupremo: * hoc tempus duodecim tabulæ dicunt occaſum eſſe ſolis: ſed poſtea lex Plætoria id quoque tempus iubet eſſe ſupremum, quo prætor in comitio ſupremam pronuntiauit populo. Secũdum hoc dicitur crepuſculum à crepero: id uocabulum ſumpſerunt

1 à Sabinis: unde ueniunt Crepuſci nominati Amiterno, quòd eo tempore erant nati, ut Lucij prima luce creati. Crepuſculum ſignificat dubium, ab eo res dubiæ dictæ creperæ, quòd crepuſculum dies etiam num ſit, an iam nox, multis dubium. Nox, ut Catullus ait, quòd omnia, niſi interueniat ſol, pruina obriguerint, quod nocet, nox, niſi quod Græce νὺξ, nox. Cùm ſtella prima exorta, Græci uocant ἕσπερον, noſtri ueſperuginem, ut Plautus:

2 Nec ueſperugo, nec uergiliæ occidunt. Exortæ ſtellæ tempus

pus dictum à Græcis ἑσπέρα, Latinè ueſper: ut ante ſolem ortum, quòd eadem ſtella uocabatur iubar, quòd iubata. Pacuuius dicit, Paſtor exorto iubare, noctis decurſo itinere. Ennius: Aiax: Lumen iubar'ue in cælo cerno? Inter ueſperuginem, & iubar dicta nox intempeſta, ut in Bruto Caßius, quod dicebat Lucretia: Nocte intempeſta noſtram deuenit * domum. Intempeſtam Aelius dicebat, *aduenit cùm tempus agendi eſt nullum, quod alij concubium appellarunt, quòd ferè omnes tunc cubarent: alij ab eo quod ſileretur, ſilentium noctis, quod idem Plautus, tempus conticinium. Scribit enim: Videbimus, factum uolo, i, 3 redito conticinio. Alter motus ſolis eſt, alter cæli, quod mouetur à bruma ad ſolſtitium. Dicta bruma, quòd breuißimus tunc dies eſt. Solſtitium, quòd ſol eo die ſiſtere uideatur, aut quòd ſol ad nos uerſum, proximum eſt ſolſtitium. Cùm uenit in medium ſpatium inter brumam & ſolſtitium, quòd dies æquus ſit, ac nox, æquinoctium dictum. Tempus à bruma ad brumam dum Sol redit: uocatur annus, quòd ut paruuli circuli, annuli, ſic magni dicebantur circi, anni: unde annus. Huius temporis pars prima hiemps, quod tum multi imbres: hinc hibernacula, hibernum: uel quòd tum anima, quæ flatur, omnium apparet, ab hiatu hiemps. Tempus ſecundum, uer, quòd tum uiuere incipiunt uirgulta, ac uertere ſe tempus anni: niſi quod Iones dicunt βῆρ. Tertium, ab æſtu, æſtas. Hinc æſtiuum, niſi forte à Græco αἴθεσθαι. Quartum autumnus. * MVLTA DESVNT. * ab ſole: ſic menſis à lunæ motu dictus, dum ab ſole profecta, rurſus redit ad eum luna, quòd Græci olim dicta μήνη: unde illorum μῆνες. ab eo noſtri. A menſibus intermeſtris dictus: quòd 4 putabant inter prioris menſis ſeneſcentis extremos dies,

& nouam lunam eſſe diem, quem diligentius Attici
ἔνην καὶ νέαν appellarunt, ab eo, quòd ea die poteſt ui-
deri extrema & prima luna. Luſtrum *nominatum tem-*
pus quinquennale, à luendo, hoc eſt, ſoluendo, quòd quin-
to quoque anno uectigalia & ultrò tributa per cenſores
5 *perſoluebantur.* Seculum *ſpatium annorum centum uo-*
carunt: dictum à ſene, quòd longiſsimum ſpatium ſene-
ſcendorum hominum id putarunt. Aeuum, *ab ætate omniũ*
annorum: hinc æuiternum, quod factum eſt æternum. Id
ait Chryſippus eſſe αἰῶνα: ab eo Plautus: Non *omnis*
6 *ætas ad perdiſcendum eſt ſatis.* Hinc *poëtæ, æterna templa*
cæli. A *cæli naturali diſcrimine ciuilia uocabula dies*
acceſſerunt. Dicam *prius, qui deorum cauſſa, tum qui ho-*
7 *minum, ſint instituti.* Dies Agonales, *per quos rex in re-*
gia arietem immolat, dicti ab agone, eo quòd interroga-
tur princeps ciuitatis, & princeps gregis immolatur.
Carmentalia *nominantur, quod ſacratum, & feriæ Car-*
mentis. Lupercalia *dicta, quòd in Lupercali, Luperci ſa-*
cra faciunt. Rex *cùm ferias menſtruas* Nonis *Februarijs*
edicit, hunc diem februatum appellat. Februũ *Sabini pur-*
gamentum, & id in ſacris noſtris uerbum. Nam *& Lu-*
percalia februatio, ut in Antiquitatum *libris demonſtraui.*
Quirinalia *à* Quirino, *quòd ei deo feriæ, & eorum ho-*
minum, qui Fornacalibus *ſuis non fuerunt feriati.* Feralia
ab inferijs, & ferendo: quòd ferunt tum epulas ad ſepul-
crum, quibus ius ibi parentare. Terminalia, *quòd is dies*
anni extremus conſtitutus. Duodecimus *enim menſis fuit*
Februarius, *& cùm intercalatur, inferiores quinque dies*
duodecimo demuntur menſe. Equiria, *ab equorum curſu.*
Eo *enim die currunt equi in campo* Martio. Liberalia *di-*
cta, quòd per totum oppidum eo die ſedent ſacerdotes
Libe

Liberi, hedera coronatæ anus, cùm libis & foculo 8
compotores ſacrificantes. In libris Saliorum, quorum
cognomen Agonenſium, forſitan hic dies ideò appellatur
potius Agoniũ. Quinquatrus hic dies unius à nominis er= 9
rore obſcuratur proinde, ut ſit quartus ſiue quintus di=
ctus: ut ab Tuſculanis poſt diem ſextum Idus ſimiliter uo=
catur ſexatrus, & poſt diem ſeptimum, ſeptimatrus: ſic
hic quòd erat poſt diem quintum Idus, quinquatrus. Tu= 10
biluſtrum appellatur, quòd eo die in atrio ſutorio ſacro=
rum tubis luſtrantur. Megaleſia dicta à Græcis, quòd ex
libris Sibyllinis accerſita ab Attalo rege Pergami, prope
murum Megaleſion, ubi templum eius deæ, unde aduecta
Romam. Fordicidia, à fordis bubus: bos forda, quæ fert in 11
uentre: quòd eâ die publicè immolantur boues prægnan=
tes in curijs complures, à fordis cædendis fordicidia dicta.
Palilia, dicta à Pale, quòd & feriæ ei deæ fiunt, ut Cerialia 12
à Cerere. Vinalia à uino. Hic dies Iouis, non Veneris. Hu=
ius rei cura non leuis in Latio. Nam aliquot locis uinde=
miæ primum à ſacerdotibus publicè fiebant, ut Romæ etiã
nunc: nam flamen Dialis auſpicatur uindemiam, & ut iuſ=
ſit uinum legere, agna Ioui facit: inter cuius exta cæſa
& porrecta, flamen prorſus uinum legit. In Tuſculanis
ſacris eſt: uinum nouum ne uehatur in urbem ante, quàm
Vinalia kalentur. Robigalia dicta ab Robigo: ſecundum
ſegetes huic deo ſacrificatur, ne rubigo occupet ſegetes.
Dies Veſtalia, ut uirgines Veſtales Veſtæ ſacrificent.
Quinquatrus Minuſculæ dictæ Iuniæ idus ab ſimilitudine
Maiorum, quòd tibicines tum feriati per urbem uagan=
tur, & conueniunt ad ædem Mineruæ. Dies Fortis For=
tunæ appellatus ab Seruio Tullio rege, quòd is fanum
Fortis Fortunæ ſecundum Tiberim extra urbem Ro=

mam dedicauit Iunio menſe. Dies Populifugia uidetur nominatus, quòd eo die repentè tumultu fugerit populus: non multò enim poſt hic dies, quàm deceſſus Gallorum ex urbe: & qui tum ſub urbe populi, ut Ficuleates, ac Fidenates, & finitimi alij contra nos coniurarunt. Aliquot huius diei ueſtigia fugæ in ſacris apparent. De quibus rebus

13 *Antiquitatum libri plura referunt. Nonæ Caprotinæ, quòd eo die in Latio Iunoni Caprotinæ mulieres ſacrificant, & ſub caprifico faciunt, & è caprifico adhibent uirgam. Ob hoc* toga prætexta data eis: Apollinaribus ludis docui populum. Neptunalia, à Neptuno. Eius enim dei feriæ. Furinalia, à Furina, quòd ei deæ feriæ publicæ dies is, cuius deæ honos apud antiquos. Nam ei ſacra inſtituta annua, & flamen adtributus: nunc uix nomen notum paucis. Portumnalia, dicta à Portumno, cui eo die*

*Cur

14 *ædes in portu Tiberino facta, & feriæ inſtitutæ. Vinalia Ruſtica dicuntur ante diem duodecimum Kalendas Septembris: quòd tum Veneri dedicata ædis, & horti eius tutelæ adſignantur, ac tum ſunt feriati olitores. Conſualia dicta à Conſo, quòd tùm feriæ publicæ ei deo, & in circo ad aram eius ab ſacerdotibus fiunt ludi illi, quibus uirgines Sabinæ raptæ. Volcanalia, à Volcano, quòd ei tùm feriæ, & quòd eo die populus pro ſe in ignem animalia mittit. Opeconſiua dies ab dea Opeconſiua, cuius in regia ſacrarium: quòd ideo actum, ut eò, præter uirgines Veſtales, & ſacerdotem publicum introeat nemo. Is cùm eat, ſuffibulum haud habeat tritum: id dicitur à ſuffiendo, ut ſubligaculum. Vortumnalia à Vortumno, cuius feriæ Octobri menſe. Meditrinalia, dies dictus à medendo, quòd, ut Flaccus flamen Martialis dicebat,*

hoc

*hoc die ſolitum uinum nouum & uetus libari, & degu-
ſtari medicamenti cauſſa. Quod facere ſolent etiam nunc
multi, cùm dicant, Nouum uetus uinum bibo: nouo, ue- 15
teri morbo medeor. Fontinalia à fonte, quòd is dies feriæ
eius: ab eo autem tum, & in fontes coronas iaciunt, &
puteos coronant. Armiluſtrium, ab eo quòd in armilu-
ſtro armati ſacra faciunt, niſi locus potius dictus ab his:
ſed quòd de his prius, id ab ludendo, aut luſtro eſt, quod
circumibant ludentes ancilibus armati. Saturnalia dicta
ab Saturno, quòd eo die feriæ eius: ut poſt diem tertium
Opalia Opis. Angeronalia ab Angerona, cui ſacrificium 16
fit in curia. Accalia, feriæ publicæ, Laurentinæ is dies,
quem quidam in ſcribendo Laurentalia appellant, ab Acca
Laurentia nominatus, cui ſacerdotes noſtri publicè pa-
rentant ſexto die, qui Acca dicitur: & dicunt hunc diem 17
Tarentini, Accas Tarentinas. Hoc ſacrificium fit in Vela-
bro, quà in Nouam uiam exitur, ut aiunt quidam ad ſe-
pulcrum Accæ: ut quod ibi propè faciunt dijs manibus ſer- 18
uilibus ſacerdotes: qui uterq; locus extra urbem antiquam
fuit, nõ longè à porta Romanula: de qua in priori libro di-
xi. Dies ſeptimontium nominatus ab his ſeptẽ montibus,
in queis ſita urbs eſt. Feriæ non populi modo, ſed monta-
norum, ut Paganalia, quæ ſunt alicuius pagi. De ſtatu- 19
tis diebus dixi, nunc de annalibus dicam. Compitalia, dies
adtributus laribus: ut alibi, ideò ubi uiæ competunt, tùm in 20
compitis ſacrificatur, quotannis is dies concipitur. Simili-
ter Latinæ feriæ dies conceptiuus, dictus à Latinis popu-
lis, quibus ex Albano monte ex ſacris carnem petere fuit
ius cũ Romanis: à quibus Latinis Latinæ dictæ. Sementiuæ
feriæ dies is, qui à pontificibus dictus, appellatus à ſemente, 21*

quòd ſationis cauſſa ſuſceptæ. Paganicæ eiuſdem agriculturæ cauſſa ſuſceptæ, ut haberet in agris omnis pagus: unde paganicæ dictæ ſunt. Præterea feriæ conceptiuæ, quæ non ſunt annales, ut hæ, quæ dicuntur ſine proprio uocabulo, aut cum perſpicuo, ut Nouendialis. De his diebus nunc iam, qui hominum cauſſa conſtituti, uideamus. Primi dies menſium nominati Kalendæ, ab eo quòd his diebus kalentur eius menſis Nonæ à pontificibus, quintanæ'ne an ſeptimanæ ſint futuræ, in capitolio, in cu-
22 ria Kalabra, ſic dicto. Quinquies, kalo Iuno Nouella: Septies, kalo Iuno Nouella. Nonæ appellatæ, aut quòd ante diem nonum Idus ſemper, aut quòd ut nouus annus Kalendæ Ianuariæ ab nouo ſole appellatæ, nouus menſis, noua luna Nonis. Eodem die enim in urbem ab agris ad regem conueniebat populus. Harum rerum ueſtigia apparent in ſacris Nonalibus in arce, quòd tunc ferias pri-
edicit mas menſtruas, quæ futuræ ſint eo menſe, rex prædicit populo. Idus ab eo quod Tuſci Itus, uel potius quod Sabini Idus dicunt. Dies poſtridie Kalendas, Nonas, Idus, appellati atri, quòd per eos dies noui inciperent. Dies faſti, per quos prætoribus omnia uerba ſine piaculo licet fari. Comitiales dicti, quòd tùm eſſet populus conſtitutus ad ſuffragium ferendum, niſi ſi quæ feriæ conceptæ eſſent, propter quas non liceret, ut Compitalia, & Latinæ. Contrarij horum uocantur dies nefaſti, per quos dies nefas fari prætorem, Do, Dico, Addico. Itaque non poteſt agi. Neceſſe eſt enim aliquo eorum uti uerbo,
23 cùm lege quid peragitur. Quod ſi tum imprudens id uerbum emiſit, aut quem manumiſit, ille nihilominus eſt liber, ſed uitio: ut magiſtratus uitio creatus, nihiloſecius magiſtratus. Prætor, qui tum fatus eſt, ſi imprudens fecit,

piacu

piaculari hoſtia facta piatur: ſi prudens dixit, Quintus
Mutius abnegabat eum expiari, & ut impium non poſſe 24
dicebat. Interciſi dies *ſunt, per quos mane & ueſperi eſt*
nefas, medio tempore inter hoſtiam cæſam & exta por-
recta fas: à quo, quòd fas tum intercedit, interciſi dies, aut
quòd tùm interciſum nefas. Dies qui uocatur *ſic, Quando* 25
rex comitiauit, fas: dictus ab eo, quòd eo die rex ſacrificu- 26
lus dicat ad comitium, ad quod tempus eſt nefas, ab eo fas.
Itaque póſt id tempus lege actum ſæpe. Dies qui uocatur,
Quãdo ſtercus delatum, fas: ab eo appellatus, quòd eo die
ex æde Veſtæ ſtercus euerritur, & per capitolinum cliuũ
in locum defertur certum. Allienſis dies*, ab Allia fluuio*
dictus. Nam ibi exercitu noſtro fugato, Galli obſederunt
Romam. Quod *ad ſingulorum dierum uocabula per-*
tinet, dixi. Mẽſium nomina ſunt aperta ferè, ſi a Martio,
ut antiqui inſtituerunt, numeres. Nam primus à Marte,
ſecundus, ut Fuluius Flaccus ſcribit, & Iunius Gracchus
à Venere. quod ea ſit Ἀφροδίτη. cuius nomen ego, antiquis
literis quod nuſquam inueni, magis puto dictum, quòd uer
omnia aperit, Aprilem. *Tertius à maioribus,* Maius.
Quartus à iunioribus, Iunius. *Dehinc quintus,* Quintilis,
& ſic deinceps uſque ad Decembrem *à numero. Ad hos*
qui additi, prior à principe Iano, Ianuarius *appellatus.*
Poſterior, ut ijdem dicunt ſcriptores, ab dijs inferis Fe-
bruarius appellatus, quòd tùm his parentetur. Ego *magis*
arbitror Februariũ *a die februato, quòd tũ februatur po-*
pulus, id eſt, lupercis nudis luſtratur antiquũ oppidũ Pa-
latium, gregibus cinctum. QVOD *ad temporum*
uocabula Latina attinet, hactenus ſit ſatis dictum. Nunc
quod ad eas res attinet, quæ in tempore aliquo fieri ani-
maduerterim, dicam: ut hæc ſunt, Legiſti *currens, ludens.*

De queis duo prædicere uolo, quãta ſit multitudo corum, & quæ ſint obſcuriora, quàm alia. Cùm uerborum declinantium genera ſint quatuor: unũ, quod tẽpora adſignificat, neq; habet caſus, ut ab lego legis: alterũ, quod caſus habet, neq; tẽpora adſignificat, ut ab lego lectio, & lector: tertiũ, quod habet utrũq;, & tẽpora, & caſus, ut ab lego legens, lecturus: quartũ, quod neutrũ habet, ut ab lego lectè, lectiſsimè. Horũ uerborũ ſi primigenia ſunt ad mille, ut Coſconius ſcribit, ex eorũ declinationibus uerborũ diſcrimina quingẽta millia eſſe poſſunt: ideo, quia ſingulis uerbis primigenijs circiter quingẽtæ ſpecies declinationibus fiũt. Primigenia dicũtur uerba, ut lego, ſcribo, ſto, ſedeo, & cetera, quæ non ſunt ab alio uerbo, ſed ſuas habẽt radices. Cõtrà uerba declinata ſunt, quæ ab aliquo oriũtur, ut ab lego legis, legit, legam, & ſic itidem hinc permulta. Quare ſi quis primigeniorũ uerborũ origines oſtenderit, ſi ea mille ſunt, quingẽtûm millium ſimplicium uerborum cauſſas aperuit unà. In multis tamen, qui ab his reliqua orta oſtenderit, ſatis dixerit de origine uerborum, cùm, unde nata ſint principio erant pauca: quæ inde nata ſunt, innumerabilia. A quibus, iiſdem principijs, antepoſitis præuerbijs paucis, immanis uerborum accedit numerus, quòd præuerbijs additis, atque commutatis aliud atque aliud fit: ut enim ceſsit atque receſsit, ſic acceſsit & abceſsit: item inceſsit & exceſsit, ſic ſucceſsit, & deceſsit, & diſceſsit,
27 & cõceſsit, & præceſsit. Quòd ſi hæc decem ſolùm præuerbia eſſent, quoniam ab uno uerbo declinatione quingenta diſcrimina fierent, his decemplicatis coniũcto præuerbio, ex uno quinque millia numero efficerent, ex mille ad quinquagies centum millia diſcrimina fieri poſſunt. Democritus ſecutus, & item alij, qui infinita principia

dixe

dixerunt,quæ unde ſint,non dicunt,ſed cuiuſmodi ſint:faciunt tamen magnum, quòd quæ ex his conſtant in mundo,oſtendunt. Quare ſi etymologia principia uerborum poſtulet mille,de quibus ratio ab ſe non poſcatur:& reliqua oſtendat,quod non poſtulat,tamen immanem uerborum expediet numerum. De multitudine,quoniam,quod ſatis eſſet,admonui,de obſcuritate pauca dicã. Verborum quæ tempora adſignificant, ideo locus difficilimus eſt ἔτυμα, quòd neque his fere ſocietas cum Græca lingua, neque uernacula ea, quorum in promptu memoria adfuerit noſtra: de quibus,ut dixi, quæ poterimus,incipiam hinc. Primum quod dicitur ago,actio ab agitatu facta. Hinc dicimus agit geſtum tragœdus, & agitantur quadrigæ. Hinc agitur pecus paſtum,quâ uix agi poteſt. Hinc angiportum,quia nihil in eo poteſt agi. Hinc angulus,quòd in eo locus anguſtiſsimus, cuius loci is angulus. Actionum trium,primus agitatus mẽtis,quòd primum ea quæ ſumus acturi,cogitare debemus, deinde tùm dicere, ac poſtremo facere: De his tribus minime putat uolgus eſſe actionem, cogitationem:tertium,in quo quid facimus, id maximum: ſed & cùm hoc agitamus,& quid in eam rem cogitamus, in mente agimus: & cùm pronuntiamus, agimus. Itaque ab eo orator dicitur agere cauſſam:& augures agere augurium dicuntur, cùm in eo plura dicant, quàm faciant. Cogitare, à cogendo dictum: mens plura in unum cogit, unde deligere poſsit:ſic è lacte coacto, caſeus nominatus. Sic ex hominibus concio dicta: ſic coactio, ſic compitum nominatum. A cogitatione,cõcilium,unde conſilium:quod ut ueſtimentum apud fullonem cùm cogitur,conciliari dicitur. Sic reminiſci,cùm ea,quæ tenuit mens, ac memoria, cogitantur,& cogitando repetuntur. Hinc etiam commi-

niſci

niſci dictum à con & mente, cùm finguntur in mente, quæ non ſunt: & ab hoc illud, quod dicitur reminiſcor, cùm commentum pronuntiatur. Ab eadem mente meminiſſe dictum: & amens, quod à mente ſua diſcedit. Hinc etiam metuo, mentem quodammodo moueo. Sic quod frigidus timor eſt, tremuiſti, id eſt, timuiſti. Tremo dictũ à ſimilitudine uocis, quæ tunc cùm ualde timetur, apparet: tùm etiam in corpore pili, ut ariſta in ſpica hordei horrent. Curare, à cura dictum. Cura, quòd cor urat. Curioſus qui hac præter modum uritur. Recordari, rurſus in cor reuocare. Curia, ubi ſenatus rempublicam curat: illa etiam curia dicitur, ubi cura ſacrorum publica, ab his curiones. Volo, à uoluntate dictum, & à uolatu, quòd animus ita eſt, ut puncto temporis peruolet, quò uolt. Liberè à labendo dictum, quòd ut lubrica mens prolabitur, ut dicebant olim. A libendo, libido, libidinoſus, ſic alia, ut Libentina. Metuere, à quodam motu animi, cùm id, quod malum caſurum putat, refugit mens. Cùm uehementius in mouendo, ut ab ſe abeat, & foras fertur, formido. Cùm pauet, ab eo pauor. Meminiſſe, à memoria, cùm id, quod remanſit in mente, in id rurſus mouetur, quæ à manando, ut manimoria, poteſt eſſe dicta. Itaque Salij, qui cantant Manurium Veturium, ſignificant ueterem memoriam. Monere ab eadem: quòd is, qui monet, proinde ſit ac memoria. Sic monimenta quæ in ſepulcris: & ideo ſecundum uiam, quò prætereunteis admoneant, & ſe fuiſſe, & illos eſſe mortales. Ab eo cetera, quæ ſcripta, ac facta memoriæ

* *marcore* *cauſſa, monimenta dicta. Mærere, à marcere, * quod mærore corpus marceſcere uideatur: hinc etiam * Macri dicti. Lætari, ab eo quod latius gaudium propter magni*

29 *boni opinionem diffuſum. Itaque Terentius ait: Gaudia*

ſua-

ſua ſi omnes homines conferant unum in locũ, tamen mea exſuperet lætitia. Sic enim *ſe habent læta.* Narro, *cùm alterum facio narrum: * à quo narratio, per quam cognoſcimus rem geſtam, quæ pars agendi eſt.* [* gnarum]

* DESVNT QVAEDAM *

Adijcienda & hæc, quæ aut coniuncta cum temporibus, aut ab his: eorum hoc genus uidentur etyma. Fatur *is, qui primum homo ſignificabilem ore emittit uocem.* Ab *eo ante, quàm ita faciant pueri, dicuntur infantes: cùm id faciunt, iam fari: cùm hoc uocabulum à ſimilitudine uocis pueri, fari, ac fatuus dictum.** Ab hoc tempore, *quod tum pueris conſtituant parcæ fando, dictum fatum, & res fatales.* Ad *hæc, eandem uocem qui facilè fantur, facundi dicti: qui futura prædiuinando ſolent fari, fatidici dicti.* Iidem *uaticinari, quod ueſana mente faciunt.* Sed *de hoc poſteà erit uſurpãdum. cùm de poëtis dicemus.* Hinc *faſti dies, quibus certa uerba legitima ſine piaculo prætoribus licet fari.* Ab *hoc nefaſti, quibus diebus ea fari ius non eſt, & ſi fati ſunt, piaculum faciunt.* Hinc *effata dicuntur, quòd augures finem auſpiciorum cæleſtium extra urbem agris ſunt effati.* Hinc *effari * templa dicuntur ab auguribus.* Ad*fatus, quum in his fines fiunt.* Hinc *fana nominata, quòd pontifices in ſacrando fati ſunt finem.* Hinc *profanum eſt, quod ante fanum, id eſt, coniunctum fano: hinc profanatum, quod in ſacrario polluctum.* Atq; *inde* Her-
culi decuma data ab eo eſt, quòd ſacrificio quodam fana- 30
tur, id eſt, ut fani lege ſit, id dicitur polluctum: quod à
porriciendo eſt fictum. Cùm *enim ex mercibus libamenta*
porrecta ſunt Herculi *in ara, tum polluctum eſt, ut cùm*
profanatum dicitur, id eſt, proinde ut ſit fani factum. 31
Itaque ibi olim in fano conſumebatur omne, quod profa- 32

[* factum] [* adfari]

natum

33 *natum erat, ut etiam ſit: quod prætor urbanus quotannis*
facit, cùm Herculi *immolat publicè iuuencam.* Ab eodem
uerbo fari, fabulæ, ut tragœdiæ, & comœdiæ dictæ. Hinc
faſſi, & confeſſi, qui fati id, quod ab his quæſitum. Hinc
profeſſi: hinc fama, & famoſi. Ab eodem *falli, falſum, &*
fallacia: quæ propterea quòd *fando quem decipit,* ac con=
34 *tra quàm dixit, faciat.* Itaq; *ſi quis re fallit, in hoc nõ pro=*
* *translatio* prio nomine *fallacia, ſed translatione,* * *ut à pede noſtro,*
pes lecti, ac pes betæ. Hinc etiam *famiger, affabile, & ſic*
35 *compoſita alia itẽ, ut declinata multa, in quo & fatuus &*
faunus. Loqui ab loco dictum, quòd qui primò dicitur
fari, & uocabula, & reliqua uerba dicit antè, quàm ſuo
quidque loco dicere poteſt. Hũc Chryſippus *negat loqui,*
ſed ut loqui: quare ut imago hominis non ſit homo, ſic in
coruis, cornicibus, pueris primitus incipientibus fari, uer=
ba non eſſe uerba, quòd non loquantur. Igitur *is loquitur*
qui ſuo loco quodque uerbũ ſciens ponit: & iſtum pro=
locutum dicimus, cùm animo quod habuit, extulit loquen=
do. Hinc *etiam amplius dicũtur eloqui, ac reloqui in fanis*
Sabinis *è cella dei, qui eloquũtur.* Hinc *dictus loquax, qui*
nimium loquitur. Hinc *eloquens, qui copiosè loquitur.*
Hinc *colloquium, cùm conueniunt in unum locũ loquendi*
cauſſa. Hinc *adlocutum mulieres ire aiunt, cùm eunt ad*
aliquam locutũ conſolandi cauſſa. Hinc *quidam loquelam*
dixerunt uerbum, quod in loquendo efferimus. Concinnè
loqui dictum, à concinno, ubi inter ſe conueniunt partes,
& inter ſe reſpondent aliud alij. Pronuntiare *dictum à*
nuntiare: pro idem ualet, quod antè, ut in hoc, proludit.
Ideo *actores pronũtiare dicũtur, quod in proſcenio pro=*
nuntiant po:ta cogitãte: quod maximè tũ dicũtur propriè,
nouam fabulam cùm agunt. Nuntius *eſt enim ab his rebus*

nominat

*nominatus, quod à Græco uerbo νέος, uideri poteſt decli-
natum: ab ea quidem Græca uoce Neapolis νέα πόλις ab
antiquis noſtris uocitata: à quo etiam extremum, nouiſsi-
mum quoque dici cœptum uolgo, quod mea memoria, ut
Aelius Gallus, ſic ſenes alij quòd nimium nouum uerbum* 36
*eſſet, uitabant. Cuius origo ut à uetere uetuſtius, ac ueter-
rimum, ſic à nouo declinatū nouius, & nouiſsimum, quod
extremum. Sic ab eadē origine nouitas, nouitius, & no-
ualis, & Sub nouis, dicta pars in foro ædificiorum: quod
uocabulum eius peruetuſtum, ut Nouæ uiæ, quæ uia iam-
diu uetus. Ab eo quoque poteſt dictum nominare, quòd
res nouæ in uſum cùm additæ erant, quibus eas nouiſſent,
nomina ponebant. Ab eo nuncupare, & nuncupatæ res,
quòd tùm in ciuitate uota noua ſuſcipiuntur. Nuncupare,
nominare ualere, apparet in legibus, ubi nuncupatæ pe-* 37
*cuniæ, ſunt ſcriptæ. Item in choro, in quo eſt: Aenea? quis
eſt, qui meum nomen nuncupat? Item in Medea:* Quis tu* * *Medo*
*es mulier, quæ me inſueto nuncupaſti nomine? Dico,
originem habet Græcam, quod Græci δικάζω: hinc En-
nius: Dico qui hunc dicare cupit *. Hinc iudicare, quòd* * *poteſt.*
*tunc ius dicatur. Hinc iudex, quòd ius dicat accepta pote-
ſtate, id eſt, quibuſdam uerbis dicendo finit. Sic enim ædis
ſacra à magiſtratu, pontifice præeunte, dicendo dedica-
tur. Hinc ab indicando, indicium: hinc illa, indicit bellū:
indixit funus: prodixit * diem: addixit iudicium. Hinc* * *prædixit*
*appellatum dictū in mimo, ac dictioſus. Hinc in manipulis
caſtrenſibus dicta à ducibus. Hinc dictata in ludo. Hinc di-* 38
*ctator, magiſter populi, quòd is à conſule debet dici. Hinc
antiqua illa, dicis imo, & dicis cauſſa, & addictus. (Si dico
quid ſcienti quod det, quod ignorauit trado.) Hinc doceo
declinatum: uel quòd cùm docemus, dicimus, uel quòd*

qui

qui docentur, inducantur in id, quod docentur: ab eo quod ſit ducere, qui eſt dux, aut ductor, qui ita inducit, ut doceat. Ab *docere, diſciplina, & diſcere literis commutatis paucis.* Ab *eodem principio documenta, quæ exempla docendi cauſſa dicuntur.* Diſputatio, *& computatio cum præpoſitione, à putando, quod ualet purum facere.* Ideò *antiqui purum putum appellarunt.* Ideò *putator, quòd arbores puras facit.* Ideò *ratio putari dicitur, in qua ſumma ſit pura.* Sic *is ſermo: in quo pura diſponuntur uerba, ne ſit cõfuſus, atque ut diluceat, dicitur diſputare.* Quod *dicimus diſſerit parteis, itẽ areas, trãslatio atq; ex agris uerbo utimur.* Nam *ut olitor diſſerit in areas unius cuiuſque generis res, ſic in oratione qui facit, diſertus.* Sermo, *opinor, eſt à ſerie, unde ſerta, & in ueſtimẽto ſartũ, quod cõprehenſum.* Sermo *enim nõ poteſt in uno homine eſſe ſolo, ſed ubi oratio cũ altero coniuncta: ſic conſerere manum dicimur cum hoſte: ſic ex iure manu conſertum uocare.* Hinc *adſerere manu in libertatem, cùm prehendimus: ſic augures dicunt:* Si *mihi auctor es uerbi.*

* DESVNT QVAEDAM. *

Nam *manu adſerere dicit.* Hinc *etiam ipſi conſortes, ad quos eadem ſors.* Hinc *ſortes, quòd in his iuncta tempora cum hominibus ac rebus.* Ab *his ſortilegi: ad hoc pecunia, quæ in fœnore, ſors eſt, impendium quod inter ſe iungat.* Legere *dictum, quòd legantur ab oculis litteræ.* Ideò *etiam legati, quòd ut publicè mittantur, leguntur.* Item *à legendo leguli, qui oleam, aut uuas legunt.* Hinc *legumina in frugibus uarijs; leges etiam, quæ lectæ, & ad populum latæ, quas obſeruet.* Hinc *legitima, & collegæ, qui unà lecti, & qui in eorum locum ſuppoſiti, ſublecti,*

additi

*additi, adlecti, & collecta, quæ ex pluribus locis in unum
lecta. Ab legendo ligna quoque, quòd ea caduca legeban-
tur in agro, quibus in ſocum uterentur. Itidem ab legendo
legio, & diligens, & delectus. Murmuratur dictum à
ſimilitudine ſonitus: qui murmurat, ita leuiter loquitur,
quòd magis id ſono facere, quàm ut intelligatur, uidea-
tur. Hinc etiam poëtæ, murmurantia littora. Similiter
fremere, gemere, clamare, crepare ab uocis ſimilitudine,
& ſonitus dicta. Hinc illa: arma ſonant, fremor oritur: nil
me increpitando commoues. Vicináq; horum quiritare,
iubilare. Quiritare dicitur is, qui Quiritium fidem cla-
mans implorat. Quirites à Curetibus, & ab ijs, qui cum* 40
*Tatio rege in ſocietatem uenerunt, & donati ciuitate. Vt
quiritare urbanorum, ſic iubilare ruſticorum. Itaque hos
imitatus Apriſsius ait in Bacche: Quis me iubilat? uicinus
tuus antiquus. Sic triumphare appellatum, quod cum im-
peratore milites redeuntes clamitant per urbem in capi-
tolium eunti: Io triumphe, io: idq; à θριάμβῳ Græco
Liberi patris cognomento poteſt dictum eſſe.*

*Spondere eſt dicere. Spondeo, à ſponte. Nam id ualet,
& à uoluntate. Ideo Lucilius ſcribit de Cretea: Cùm ad ſe
cubitum uenerit ſua uoluntate, ſponte ipſam ſuapte addu-
ctam, ut tunicam, & cetera reijceret. Eandem volunta-* 41
*tem Terentius ſignificat, cùm ait, ſatius eſſe ſua ſponte
recte facere, quàm alieno metu. Ab eadem ſponte, à qua
dictum ſpondere, declinatum ſpondet, & reſpondet, de-
ſponſor, & ſponſa, item ſic alia. Spondet enim qui dicit
ſua ſponte, ſpondeo: ſpondet etiam ſponſor, qui idem ut fa-
ciat, obligatur: hinc ſponſus, cōſponſus: hoc Næuius ſigni-
ficat cùm ait: Conſponſis. Spondebatur pecunia, aut filia
nuptiarum cauſſa: appellabatur, & pecunia, & quæ de-*

ſponſa erat,ſponſa. Quæ pecunia inter ſe contra ſponſum
rogata erat,dicta ſponſio:cui deſponſa quòd erat, ſponſus:
quo die ſponſum erat,ſponſalis:qui ſpoponderat filiã,de-
ſpondiſſe dicebatur, quod de ſponte eius, id eſt, uoluntate
42 exierat. Non enim ſi uolebat,dabat,quòd ſponſu erat alli-
gatus. Nam in comœdijs uides dici: Sponden' tuam gna-
tam filio uxorem meo? Quod tum & prætorium ius ad
legem, & cenſorium iudicium ad æquum æſtimabat. Sic
deſpondiſſe animum quoque dicitur,ut deſpondiſſe filiam,
quod ſuæ ſpontis ſtatuerat finem:à qua ſponte dicere, con-
ſpondere quoque dixerunt,cùm ad ſponte reſponderetur,
id eſt,ad uoluntatem rogantis. Itaque qui ad id,quod roga-
tur,non dicit,nõ reſpondet:ut non ſpondet ille ſtatim, qui
dixit ſpondeo,ſi iocandi cauſſa dixit:neque agi poteſt cum
eo ex ſponſu. Ita quiſquis dicit in tragœdia: Meminiſtí ne
te deſpondere mihi gnatam tuam? quod ſine ſponte ſua di-
xit, cum eo agi non poteſt ex ſponſu. Etiam ſpes à ſponte
poteſt eſſe declinata, quòd tum ſperat, cùm quod uolt, ſic
fieri putat. Nam quod non uolt,ſi putat, metuit, non ſpe-
43 rat. Itaque hic quoque,qui dicit in Aſtraba Plauti: Seque-
re, adſequere Polyba, diſce, meam ſpem cupio conſequi.
44 Sequor Hercle quidem:nam libenter te mea ſperata con-
ſequor: & quod ſine ſponte dicit, uerè neque ille ſperat,
qui dicit adoleſcens, neque illa ſperata eſt. Sponſor, &
præs,& uas:neque idem,neque res, à quibus ij, ſed diſſi-
miles. Itaque præs, qui à magiſtratu interrogatus, in pu-
blicum ut præſtet, à quo & cùm reſpondet, dicitur præs.
45 Vas appellatus, qui pro altero uadimonium promittebat.
Conſuetudo erat, cùm reus parum eſſet idoneus,incœptis
rebus, ut pro ſe alterum daret: à quo caueri poſtea lege
cœptum eſt,ab his,qui prædia uenderent,uades ne darent:
ab eo

ab eo ſcribi cœptum in lege mancipiorum: uadem ne poſceret, nec dabitur. Canere, & canit, & ſuccinit, & *cantus, cantatio, ex camena permutato* N: *ab eo quod ſemel, canit, ſi ſæpius, cantat, hinc cantitat: item alia: nec ſine canendo tibicines dicti.* Omnium enim horum quid à canere: *etiam buccinator à uocis ſimilitudine & cantu dictus.* Oro, ob ore, & perorat, & exorat, & oratio, & orator, & *oſculum dictum.* Inde omen, & ornamentum: *alterum quod ex ore primum elatum eſt, oſinen dictum,* 46
alterum cùm R *poſitione dicitur nunc ornamentum olim oſnamenta, ut ſcenici plerique dicunt.* Hinc oſcines *dicuntur apud augures, quòd ore faciũt auſpicium.* Tertium *gradum agendi dicunt, ubi quid faciunt: in eo propter ſimilitudinem agendi, & faciendi, & gerendi, quidam error his, qui putant eſſe unum.* Poteſt enim aliquis facere, & *non agere, ut poëta facit fabulam, & non agit: contrà actor agit, & non facit: & ſic à poëta fabula fit, & non agitur: ab actore agitur, & non fit.* Contrà imperator *qui dicitur res gerere: in eo neque agit, neque facit, ſed gerit, id eſt, ſuſtinet: translatũ ab his, qui onera gerũt, quòd ſuſtinent.* Proprio *nomine dicitur facere à facie, quod rei, quam facit, imponit faciem: ut fictor cùm dicit fingo, figuram imponit: cùm dicit informo, formã: ſic cùm dicit facio, faciẽ imponit: à qua facie diſcernitur, ut dici poſsit aliud eſſe ueſtimentum, aliud uas.* Sic item *quæ fiunt apud fabros, fictores, item apud alios alia.* Qui *quid adminiſtrat, cuius opus non exſtat, quod ſub ſenſum ueniat, ab agitatu, ut dixi, magis agere, quàm facere putatur: ſed quod his magis promiſcuè, quàm diligenter conſuetudo eſt uſa, translatitijs utimur uerbis.* Nam & *quidem facere uerba dicimus, & qui aliquid agit, non eſſe inficientem.* Qui ad- 47

lucet,dicitur lucere,ab ad & lucere, ut luce diſſoluuntur
48 *tenebræ,ab luce noctiluca.Luci item à luce,quòd propter*
lucem cultus inſtitutus. Adquirere eſt ab ad & quære-
re:ipſum quærere, ab eo quod quæ res ut recuperaretur,
datur opera:à quærendo quæſtio,ab his quæſtor. Video
à uiſu:quinque enim ſenſuum maximus eſt in oculis. Nam
cùm ſenſus nullus, quod abeſt mille paſſus, ſentire poßit,
oculorum ſenſus uiſusq; ad ſtellas peruenit.Hinc uiſenda,
uigilant,peruigilium,& inuidet.& Actiacum illud: Ob-
*obuiolauit *liuio lauet,* quod incidit inuidendum : à quo etiam uiola-*
uit uirginem,pro uitiauit dicebant.Atque eadem modeſtia
potius cùm muliere fuiſſe, quàm concubuiſſe dicebant.
49 *Cerno pro uideo,atque idem ualet:ut ait Ennius: Lumen*
iubar'ue in cælo cerno? C. Annius: Senſumq; ineſſe &
*tenebris *motum in membris * cerno. Dictum cerno à creo,*id eſt,*
κρέω, *à creando:ab eo quòd,cùm quid creatum eſt,tunc denique*
uidetur.Hinc fines capillorum diſcreti, quòd finis uidetur
diſcrimen: CERNITO *in teſtamento,id eſt, facito ui-*
50 *deant te eſſe heredem. Itaque in cretione adhiberi debent*
51 *teſtes. Ab eodem eſt,quod ait Medea: Ter ſub armis ma-*
lim uitam cernere,quàm ſemel modò parere : quod ut de-
cernunt de uita eo tempore multorum,uideatur uitæ finis.
Spectare dictum ab ſpecio antiquo, quo etiã Ennius uſus:
52 *Vos epulo poſtquam ſpexit.Et quod in auſpicijs diſtribu-*
tum eſt:qui habeant ſpectionem,qui nõ habeant:& quod
in augurijs augures dicunt,auem ſpecere.Conſuetudo au-
tem communis,quæ cum præuerbijs coniuncta ſunt, etiam
nunc ſeruat:ut aſpicio,conſpicio,reſpicio,ſuſpicio, deſpi-
cio , ſic alia:in quo etiam exſpecto , quod ſpectare uolo.
Hinc ſpecula:hinc ſpeculum:quòd in eo ſpecimus imaginẽ.
Specula, de qua proſpicimus. Speculator, quem mittimus
ante,

ante,ut reſpiciat,quæ uolumus. Hinc,quo oculos inungimus, *quibus ſpecimus, ſpecillum.* *Ab auribus uidentur dicta uerba audio, & auſculto : audio ab aueo,quòd auribus auemus diſcere ſemper : quod* Ennius *uidetur etymon oſtendere uelle in* Alexandro, *cùm ait :* Iam *dudum abludit animus, atque aures auent auidè exſpectantes nuntiū: propter hanc aurium auiditatem theatra replentur.* Ab *audiendo etiam auſcultare declinamus, quòd hi auſcultare dicuntur,qui auditis parent,à quo dictū poëtæ,audio,haud auſculto.*Litteræ cōmutatione dicitur odor,olor:hinc olet 53 & odorari,& odoratur,& odora res. *Sic ab ore edo, ſorbeo, bibo, poto.*Edo à Græco ἔδω. Hinc *eſculentum, & eſcæ,edulia : & quod* Græcè γεύεσθαι, Latinè *guſto.* Sorbere, *item bibere, à uocis ſono : ut feruere aquam ab eius rei ſimili ſonitu.* Ab *eadem lingua* πότω,unde potio, *unde poculum,potatio,repotatio:* itidem puteus,quòd ſit* *repotia Græcum *antiquum,non ut nunc* φρέαρ *dictum.* A *manu, manupretium:mancipium,quod manu capitur. Cùm iungit plures manus,manipulus,unde manipularis miles,unde manica.Manubriū,quòd manu teneatur.Mantelium*quaſi* *Mantellum *manutergium,ubi manus terguntur.* Nunc *primum ponam de cenſorijs tabulis.* Vbi *noctu in templum cenſura auſpicatur,atq; de cælo nuntiatum erit:præconi ſic imperato,ut uiros uocet.*Quod *bonum, fortunatum,felixq́;,ſalutareq́; ſiet populo* Romano Quiritium, *reiq́; publicæ populi* Romani Quiritium, *mihiq́;, collegæq́; meo,fidei, magiſtratuiq́; noſtro.* Omnes Quirites,*pedites, armatos, priuatosq́;,curatores omnium tribuum,ſi quis pro ſe,ſiue altero dari rationē uolet,uoca inlicium huc ad me.* Præco *in templo primum uocat,poſtea de mœris item uocat.*Vbi *lucet,cenſor, ſcribæ, magiſtratus, murrha, unguentis un-*

guntur. Vbi prætores, tribuniq; plebei, quiq; in conſilium
uocati ſunt, uenerunt: cenſores inter ſe ſortiuntur, uter
54 *luſtrum faciat, ubi templum factum eſt. Poſt autem concio-*
nem habet, qui luſtrum conditurus eſt. In commentarijs
conſularibus ſcriptum ſic inueni: Qui exercitum impera-
turus erit, accẽſo dicit hoc, Calpurni uoca inliciũ omneis
Quirites huc ad me. Accenſus dicit ſic, Omnes Quirites
inlicium uiſite huc ad iudices. C. *Calpurnius dicit: Voca*
ad concionem omneis Quiriteis huc ad me. Accenſus dicit
ſic: Omnes Quirites ite ad concionẽ huc ad iudices. Dein-
de conſul loquitur ad exercitum: Impero qua conueni-
tur ad comitia centuriata. Quare hic accenſo, ille præconi
dicit: hæc eſt cauſſa: in aliquot rebus item ut præco, accen-
ſus acciebat, à quo accenſus quoque dictus. Accenſum ſoli-
55 *tum ciere Bœotia oſtendit, quam comœdiam Aquilij eſſe*
dicunt, hoc uerſu: Vbi primum accenſus clamarit meridiẽ.
Hoc idem *Coſconius in Actionibus ſcribit, prætorem ac-*
cenſum ſolitum tum eſſe iubere, ubi ei uidebatur horam
eſſe tertiam, inclamare horam eſſe tertiam, itemq; me-
ridiem, & horam nonam. Item circum aras mitti ſolitum
56 *tum cum inliceret populum in eum locum, unde uocare*
poſſet ad concionem non ſolùm ad conſules & cenſores,
ſed etiam quæſtores, ut cõmentarium indicat uetus anqui-
ſitionis M. Sergij Manij filij quæſtoris, qui capitis accu-
ſauit Trogum, in qua ſic eſt: Auſpicio orando ſede in tem-
plo auſpicij dum aut ad prætorem, aut ad conſulem mittas
auſpicium petitum commeatum prætoris: præcoreum uo-
cet ad te, & eum de mœris uocet: præconi id imperare
oportet. Cornicinem ad priuati ianuam, & in arcem mit-
tas, ubi canat collegas T. Trogi, & comitia edicat è ro-
ſtris: argentarij tabernas occludant, patres cenſeant, exqui-

ras,

ras, & adeſſe iubeas magiſtratus: cenſeat ex ara* conſules, prætores, tribunosq́; plebis, collegasq́; ſuos, & in templo iubeas adeſſe homines, ac, cùm mittas, concionem aduoces. In eodem commentario anquiſitionis ad extremum ſcriptum caput edicti hoc eſt. Item quod adtingat, qui de cenſoribus claßicum ad comitia cẽturiata redemptum habent, uti curent eo die, quo die comitia erunt, in arce claßicum canat tum circumq́; mœros, & ante priuati huiuſce T. Quinctij Trogi ſceleroſi hominis hoſticum canat: & ut in campo cùm prima luci adſit: & inter id, cùm circum mœros mittitur, & cùm concio aduocatur, intereſſe tempus, apparet ex his, quæ interea fieri inlicium ſcriptum eſt. Sed ad comitia tum uocatur populus: ideò quòd alia de cauſſa hic magiſtratus non poteſt exercitum urbanũ conuocare: cenſor, conſul, dictator, interrex poteſt: quòd cenſor exercitu centuriato conſtituit quinquennalem cùm luſtrat, & in urbem ad uexillum ducere debet: dictator, & conſul in ſingulos annos: quod hic exercitui imperare poteſt, quò eat, id quod propter centuriata comitia imperare ſolent. Quare non eſt dubium quin hoc inlicium ſit, cùm circũ muros itur, ut populus inliciatur ad magiſtratus cõſpectum, quod conſul uocare poteſt in eum locũ, unde uox ad concionem uocantis exaudiri poßit. Quare ex una origine inlicio & inlicium, quod in choro Proſerpinæ eſt: & pellexit, quod in Hermiona eſt, cùm ait Pacuuius: Regni alieni cupiditas pellexit. Sic Elicij Iouis ara in Auentino, ab eliciendo. Hoc nunc aliter fit, atque olim, quòd augur conſuli adeſt, tùm cùm exercitus imperatur, ac præit, quid cum oporteat dicere. Conſul auguri imperare ſolet, ut inlicium uocet, non accenſo, aut præconi. Id inceptum credo, cùm abeſſet accenſus, & nihil intereſſet, cui imperaret:

*exire

& dicis cauſſa fiebant quædam, neq; item facta, neq; item dicta ſemper. Hoc *ipſum inliciū ſcriptū inueni in* M. Iunij *commentarijs, quod tamen ibi idem eſt, illicit & illexit.* Quia I, *cum* E, *magnam habent communitatem. Sed quoniam in hoc de paucis rebus uerba feci multa: de pluribus rebus uerba faciam pauca, & potiſsimum, quæ in* Græca lingua putāt Latina, *ut ſcalpere* σκαλεύειν, *ſternere* στορεννύειν, *lingere* λίχνεσθαι, *ferre* φέρειν, *prouidere* προϊδεῖν, *errare* ἐρύειν, *quæ omnia Græca ſunt. Item ab* γίγνομαι *gigno, & ab eo, quod dicunt* στραγγαλίζειν, *ſtrangulare: tingere* θιγγάνειν. *Præterea ab eo quod nos ma-* δισμεῖν *laxare, illi* μαλακίζειν, *potare* ποτίζειν, *domare* δομᾶν,* *mulgere ab* ἀμέλγειν, *ut runcinare à runcina, cuius origo Græca* ῥύγχος. *Quod ad originem uerborum huius libri pertinet, quoniam ſatis multas arbitror poſitas huius generis, deſiſtam.* Et *quoniam de hiſce rebus treis libros ad te mittere inſtitui, de oratione ſoluta duos, de poëtica unum: & ex ſoluta oratione ad te miſi duos, priorem de locis, & quæ in locis ſunt, hunc de temporibus, & quæ cum his ſunt coniuncta: deinceps in proximo de poëticis uerborum originibus ſcribere inſtitui.*

M. TE

M. TERENTII VARR. DE LINGVA LATINA

Liber ſextus ad M. Tullium *Ciceronem.*

*

TEMPORVM *uocabula, & eorum,*
quæ coniũcta ſunt, aut in agẽdo fiunt, aut
cum tẽpore aliquo enuntiantur, priore
libro dixi. In hoc dicã de poëticis uoca-
bulis, & eorũ originibus. In queis multa
difficilia. nam uerbũ, quod conditum eſt, & quibus litteris
oportet ſcribi, aperiam. Inde *ſi pòſt aliquæ demptæ ſint,* 1
obſcurior fit uolũtas impoſitoris. Non reprehendẽdi igi-
tur illi, qui in ſcrutando uerbo litteras adijciunt, aut de-
munt, ut facilius quid ſub ea uoce ſubſit, uidere poſſint. Et
enim facilius obſcurã operam Myrmecidis *ex ebore oculi* 2
uideant, ſi extrinſecus admoueant nigras ſetas: cùm hæc
adminicula addas ad eruendum uolũtatem impoſitoris, ta-
men latent multa. Quod *ſi poëtice in carminibus ſeruauit*
multa, priſca quæ eſſent, ſi etiam cur eſſent, poſuiſſet, fæ-
cundius poëmata ferrent fructum. Sed *ut in ſoluta oratio-*
ne, ſic in poëmatis non uerba omnia habent ἔτυμα *quæ* 3
poſſint dici: nec multa, ab eo quòd nõ erãt in lucubratiõe
litteræ proſecutæ. Licet *multum legeris* C. Aelij *hominis* 4
imprimis in litteris Latinis *exercitati, interpretationem*
carminũ Saliorũ, *uidebis, et exili littera expedita, & præ-*
terita obſcura multa. Nec mirum, *cùm nõ modò* Epimeni-
des poſt annos quinquaginta experrectus, à multis nõ co-
gnoſcatur, ſed etiam Teucer Liuij *pòſt annos duodecim*
** ab ſuis qui ſit, ignoretur.* At *hoc quid ad uerborũ poë-* * *decem*
ticorum ætatem? quorum ſi Pompilij *regnum fons in car-*

minibus Saliorum, neq; ea à ſuperioribus accepta, tamen habent ſeptingentos annos. Quare, cur ſcriptoris induſtriam reprehendas, qui herois tritauum, atauumq́; non potuerit reperire, cùm ipſe tui tritaui matrem non poßis dicere? quod interuallum multo propius nobis, quàm hinc ad initium Saliorum, quo Romanorum prima uerba poëtica dicuntur Latina. Igitur de originibus uerborum, qui multa dixerit commode, potius boni conſulendum, quàm qui aliquid nequiuerit, reprehendendum? præſertim cùm dicat etymologicé nõ omnium uerborũ poſſe dici cauſſas: ut quia quare ad medendam medicina. Neque ſi nõ norim radices arboris, non poſſem dicere pirum eſſe ex ramo, ramum ex arbore, eam ex radicibus quas nõ uideo. Quare qui oſtendit equitatũ eſſe ab equitibus, equites ab equito, equito ab equo, neq; equus unde ſit dicit: tamen hic docet plura, & ſatisfacit grate. Quem imitari poſſumus, ut ipſe liber erit indicio. Dicam iſto libro de uerbis, quæ à poëtis ſunt poſita. Primum de locis; deinde de ijs, quæ in locis ſunt, tertio de temporibus, tum quæ cum temporibus ſunt coniuncta, utq́; cum his ſunt coniuncta, adiungam: & ſi quid excidit ex hac quadripartitione, tamen in ea id cõprehendam. Incipiam hinc. Vnus erit quem tu tolles in cærula cæli templa. Templum tribus modis dicitur, ab natura, ab auſpicio, ab ſimilitudine. Natura, in cælo: ab auſpicijs, in terra: ab ſimilitudine, ſub terra. In cælo templum dicitur, ut in Hecuba: O magna templa cælitum commixta ſtellis ſplendidis. In terra, ut in Peribœa: Scrupea ſaxa Bacchi templa propè adgreditur. Sub terra, ut in Andromacha: Acheruſia templa alta Orci ſaluete infera. quaquà intuerãt oculi, à tuendo primo templum dictum: quocirca cælum quà tuimur, dictum tẽplum. Sic: Contremuit templum

plum magnum Iouis *altitonantis.* Id *eſt, ut ait* Næuius *in* Hemiſperio, *ubi terra cærulo ſepta ſtat.* Eius *templi partes quatuor: ſiniſtra ab oriente, dextra ab occaſu, antica ad meridiem, poſtica ad ſeptentrionem.* In *terris dictum templum locus augurij, aut auſpicij cauſſa quibuſdã conceptis uerbis finitus.* Concipitur *uerbis nõ iiſdem uſquequaque.* In *arce ita:* Teſtaq; *meta ſunto, quoad ego eas re-* 6 *linquam, nuncupauero.* Olla *uer arbor quidquid eſt, quam me ſentio dixiſſe, templum, tectumq;: ferto in ſiniſtrum.* Olla *uer arbor, quidquid eſt, quod me ſentio dixiſſe, templum tectumq;: ferto in dextrum.* Interea *concretione, conſpicione, cortumione, utique ea rectiſſime ſenſi.* In *hoc templo faciundo arbores conſtitui fines apparet, & intra eas regiones, qua oculi conſpiciunt, id eſt, tuimur: à quo templum dictum, & contemplare: ut apud* Ennium *in* Medea: Cõtempla, *& templum* Cereris *ad leuam aſpice.* Contemplare *& conſpicare idem eſſe apparet.* Ideò *dicere eſt cùm templum faciant augures conſpicione, quà oculorum conſpectum finiant: quod cùm dicũt conſpicionem addunt cortumionem, quæ dicitur à cordis uiſu.* Cor *enim cortumionis origo.* Quod *addit tẽpla ut ſint dextra, aiunt ſancta eſſe, qui gloſſas ſcripſerunt: id eſt falſum.* Nam *curia* Hoſtilia *templum eſt, & ſanctum non eſt.* Sed *hoc ut putarent ædem ſacram eſſe templum, & ſanctum eſſe: quod in urbe* Roma *pleræque ædes ſacræ ſunt templa, eadem ſancta: & quòd loca quædam agreſtia, quòd alicuius dei ſunt, dicũtur teſca.* Nam *apud* Actiũ *in* Philoctete: Lemnia: Quis *tu es mortalis, qui in deſerta, & teſca te apportes loca?* Loca *enim quæ ſint, deſignat cùm dicit,* Lemnia, Præſtolare, ** excelſa* Cabyrũ *delubra tenes, myſteriaq; priſtina caſtis concepta ſacris.* Deinde Volcania *tora rara*

* Præſto lit-

templa

templa ſub ipſis collibus,in quos delatus locos dicitur,al=
7 to ab limine cæli.Et Næuius : Expirante uapore uidemus
unde ignis lucet mortalibus clam diuiſus. Quare hic qui
teſca dixit,non errauit : neque ideo quòd ſancta,ſed quòd
ibi myſteria fiũt,ac tuentur,tueſca dicta,poſt teſca. Tue-
ri duo ſignificat, unum ab aſpectu, ut dixi, unde eſt illud:
Tueor te ſenex,prob Iuppiter ? Et : Quis pater,aut co=
gnatus uolet nos contra tueri ? Alterum à curando ac tu-
8 tela,ut cùm dicimus,uelle tueri uillam : à quo etiam qui=
9 dam dicunt illum,qui curat ædes ſacras,ædituum,nõ ædi=
tumum. Sed tamẽ hoc ipſum ab eadem profectum eſt ori=
10 gine,quòd quem uolumus domum curare,dicimus:Tu do=
mi uidebis:ut Plautus cùm ait:Intus para, cura, uide quod
opus eſt ut fiat. Sic dicta ueſtiſpica,quæ ueſtem ſpiceret,
id eſt,uideret ueſtẽ,ac tueretur. Quare à tuẽdo & tẽpla,
& teſca dicta cum diſcrimine eo, quod dixi. Etiam inde
idem: Illud enim extemplo acceptũ me negato & filium.
Extemplo eſt continuo, quòd omne templum debet eſſe
circumſeptum, nec plus, quàm unum introitum habere.
Quod eſt apud Actium:Peruade polum, ſplendida mundi
ſidera bigis continuis ſecepit ſpolijs. Polus Græcum : id
ſignificat circuitum cæli.Quare quod eſt peruade polum,
uade per polum. Signa dicuntur eadem & ſidera.Signa,
quòd aliquid ſignificẽt,ut libra,æquinoctium. Sidera,quæ
inſidunt : atque ita ſignificant aliquid in terris peruren=
do,aliud'ue. Quare & ſignum candens. In Hectore.
21 Quod eſt, Terrarũ amfracta reuiſam. Amfractum eſt
ab origine flexum duplici,dictũ ab ambitu,& frangendo:
ab eo leges iubẽt in directo pedum octo eſſe, in amfracto
ſexdecim,id eſt,in flexu. Ennius:Vt tibi Titanis Triuia
dederit ſtirpem liberum. Titanis Triuia Diana eſt:ab eo

dicta

dicta Triuia, quòd in triuio ponitur ferè in oppidis Græ-
cis: uel quòd luna dicitur eſſe, quæ in cælo tribus uijs mo-
uetur, in altitudinem, & latitudinem, & longitudinem.
Titanis dicta, quòd eam genuit Titani filia Latona, ut ſcri-
bit Manilius: creta Titano, ut idem ſcribit, Latona parit* * Manlius
caſto cõplexu Iouis Deli deos geminos, id eſt, Apollinem
& Dianam. Idem de eodẽ: O ſancte Apollo, qui umbilicũ
certum terrarũ optines. Vmbilicũ dictum aiunt ab umbi- 12
lico noſtro, quòd is medius locus ſit terrarum, ut umbili-
cus in nobis: quod utrumq; eſt falſum. Neque hic locus eſt
terrarum medius, neque noſter umbilicus eſt hominis me- 13
dius. Itaque pingitur qui uocatur ἰχθὸν à Pythagora, ut
media cæli ac terræ linea ducatur infra umbilicũ, per id, 14
quo diſcernitur homo mas, an fœmina ſit, ubi ortus huma-
nus ſimilis ut in mundo. Ibi enim omnia naſcuntur in me-
dio, quòd terra mundi media. Præterea ſi quod medium id
eſt umbilicus, ut pila terræ, non Delphis medium: & ter-
ræ medium non hoc, ſed quod uocant Delphis in æde ad
latus foraminis eſt quiddã, ut theſauri ſpecie, quod Græci
ὀμφαλὸν dixerunt. Pacuuius: Calydonia altrix terra 15
exuberantium uirũ. Vt ager Tuſculanus, ſic Calydonius,
ager eſt, non terra, ſed lege poëtica, quòd terra Aetolia, in
qua Calydon, à parte totam accipi Aetoliam uoluit.
Actius: Myſtica ad dextrã per uada uecti. Myſtica, à my-
ſterijs, quæ ibi in propinquis locis nobilia ſunt. Ennius:
Areopagitæ quid dedere aliud quàm pedam? Areopagi-* * peram
tæ ab Areopago, is locus Athenis. Muſæ quæ pedibus
magnũ pulſatis olympũ. Cælum dicunt Græci olympum,
montem eũ in Macedonia omnes, à quo potius puto dictas
muſas olympiadas. Ita enim ab terreſtribus locis cogno-
minatæ Libethrides, Pipleides, Pimpliades, Theſpiades,

Helico

Heliconiades. Quaſi Helleſpontum, & clauſtra. Quod Xerxes quondam eum locum clauſit. Nam, ut ait Ennius: Iſq; Helleſponto ponte contendit in alto: niſi ab eo quod Aſiam & Europã ibi cõlidit mare, & inter anguſtias facit Propontidis fauces. Pacuuius: Liqui in Aegeo freto. Dictum fretum à ſimilitudine feruentis aquæ; quod in fretum ſæpe concurrat æſtus, atque efferueſcat. Aegeum dictum ab inſulis, quòd in eo mari ſic ſcopuli uocantur à ſimilitudine caprarum, αἶγες. Pacuuius: Fermè aderant æquore in alto ratibus repētibus. Aequor mare appellatũ, quòd æquatũ, cùm commotũ uento non eſt. Ratis, nauis longa dicitur, ut Ennius * cùm ait: Conferre aut ratẽ ærarum qui perit, et * qui dum mare ſudantes eunt, atque ſedentes. Ratis, dicta nauis longa propter remos, quòd hi cũ per aquã ſublati ſunt dextra & ſiniſtra, duas parteis efficere uidentur: ratis enim, unde hoc translatũ, illic ubi plures mali aut aſſeres. * DEEST PAGINA * Agreſtis ab agro. Inſulas dictas apparet in hoſtijs, quòd uelamẽta è lana quæ adduntur, inſulæ, intra hoſtiarum cornua uelamenta erant. Itaque cùm ad ſepulcrum ferunt frondes atq; flores, addunt nunc lanas. Ideo Næuius ait, Sed uelatas frondenteis comas. Cornuatam umbrã iaci: dicere apparet cornuatam à cornibus. Cornua à curuore dicta, quòd pleraq; curuantur. At quas memorat noſſe uos eſſe. Caſmenas. Caſmenarum priſcum uocabulum, ita natum, atque ſcriptum eſt: alibi Carmenæ ab eadem origine ſunt declinatæ, ut in multis uerbis: in quo antiqui dicebant S, poſteà 16 dicunt R, ut in carmine Saliorum ſunt hæc: Coſauli, doloſi, eſo. Omina uerò adpatula coënuſſe. * Iam Cuſiatij, muſes, ruſe, dumq; Ianus uenet: poſt melios melior, fœdeſum fœderum, pluſima, plurima, aſena arena, ianitos ianitor. Quare

* dixit Næuius

* petitet

* conueniſſe

Quare caſmena carmena:inde carmina:R poſtea extrito, camena factum. Ab eadẽ *uoce canite,pro quo in Saliari carmine ſcriptum eſt,cante,hoc uerſu:*Diuum *exta cante, diuũ deo ſupplice cante.* In *carmine* Priami *apud* Actiũ, *quod eſt : Veteres caſmenas caſcas res profari uolo.* Et *primum caſcũ ſignificat uetus:eius origo* Sabina,*quæ uſq; radices in* Oſcam *linguam egit.* Caſcum *uetus eſſe ſignificat* Ennius,*cùm ait;* Quàm *primum caſci populi genuere* Latini. Eo *magis* Manilius* *quod ait :* Caſcum *duxiſſe* * Manlius
*caſcam non mirabile eſt,quoniã canoras conficiebant nuptias.*Item *oſtendit* Pomponij *epigrãmation,quod in adoleſcentem fecerat* Caſcam : Ridiculum *eſt,cùm te* Caſcam *tua dicit amica* Caſca Philoptois *ipſa ſenex puerum.* Dic 17
tu illam puſam,ſic fiet mutua muli. Nã *uere puſus tu,tua amica ſenex*ſt. Item *oſtendit quod oppidum uocatur* Caſcinum, Hoc *enim à* Sabinis *orti* Samnites *tenuerunt, & nunc noſtri,unde &* Caſcinum *forum uetus.* Item *ſignificant in* Atellanis *aliquot,pupum ſenem,quod* Oſci *caſnar appellant.* Apud Luciliũ : *Quid tibi ego ambages* Ambiui *ſcribere coner? Profectum à uerbo ambio,quod eſt in ambitu & ambitioſo.* Apud Valerium Soranum : *Vetus adagio eſt,ô* P. Scipio. *Quod uerbum uſque eò euanuit,ut* Græcum παροιμία *pro eo poſitum magis ſit apertum: nam idem, quod uocant* Græci παροιμίαν : *ut,* Auribus *lupum teneo,*Canis *caninã non eſt:*Adagio, *& littera cõmutata abagio,dicta ab eo,quòd ambit orationẽ, neque in aliqua una re conſiſtit ſola.* Ambagio *dicta,ut aubuſtum, quod circum uſtum eſt, ut ambegna bos apud* Augures, 18
quam circum aliæ hoſtiæ conſtituuntur. Cùm *tria ſint coniuncta in origine uerborum,quæ ſint animaduertẽda, à quo ſit impoſitum, & in quo, & quid, ſæpe non minus*

de

*de tertio,quàm de primo dubitatur, ut in hoc: utrum pri-
mum una canis,an canes ſit appellata:dicta enim apud ue-
teres,una canes.*Itaque Ennius *ſcribit:* Tantidē *quaſi ſeta
canes ſine dentibus latrat. Lucilius:* Ne*quam & magnus
homo,laniorū immanis canes: ut impoſitio unius debue-
rit eſſe canis,plurium canes. Sed neque* Ennius *conſuetu-
dinem illam ſequens,eſt reprehendēdus: neque is,qui nūc
dicit:Canis caninam nō eſt. Canes,quòd latratu ſigna dāt,
ut ſi ſigna canant,canes appellatæ: & quòd ea uoce indi-
cant,quæ noctu latent, latratus appellatus.* Sic *dictum à
quibuſdam ut una canes,una trabes remis roſtrata per al-*
19 *tum.Ennius: Vtinam ne in nemore Pelio ſecuribus cæſa
adcidiſſet abiegna ad terram trabes. Cuius uerbi ſingula-*
20 *ris caſus rectè correptus,ac facta trabs.* In Medo Ennius:
* *Pacuuius* * *Cælitum Camilla expectata aduenis, ſalue hoſpita Ca-
milla: qui gloſſemata interpretati, dixerunt admini-
ſtram, addi oportet in his quæ occultiora.* Igitur *di-*
21 *citur in nuptijs camillus, qui cumerum fert, in quo
quod ſit in miniſterio plerique extrinſecus nectunt:
hinc camillus nominatur in Samothraces myſterijs* Dius
quidam adminiſter dijs magnis.Verbum Græcū arbitror,
22 *quod apud* Callimachum *in poëmatis eius inueni.* Apud
Enniū. *Subulo finitimas propter aſtabat aquas.Subulo di-
ctus,quòd ita dicūt tibicines* Tuſci: *quocirca radices eius
in* Etruria,*non* Latio *quærendum eſt. Verſus,quos olim*
Fauni,*uateſq; canebant.* Fauni *dei Latinorum, ita ut Fau-
nus,& Fauna ſint in uerſibus, quos uocant Saturnios, in
ſilueſtribus locis traditum eſt ſolitos fari:à quo fando Fau-
nos dictos.* Antiquos *poëtas uates appellabant à uerſibus
uiendis,ut in poëmatis cùm ſcribam,oſtendam.* Corpore
Tar*tarino prognata paluda uirago.* Tar*tarino à* Tartaro

dictum

dictum. Plato *in quarto de fluminibus, apud inferos quæ ſint, in his unum* Tartarum *appellat: quare* Tartari *origo* Græca. *Paluda à paludamentis. Sunt hæc inſignia & ornamenta militaria. Ideo ad bellum cùm exit imperator, ac lictores mutant ueſtem, & ſigna incinuerunt, paludatus dicitur proficiſci: quæ propterea quòd conſpiciuntur, qui ea habent, ac fiunt palam, paludamenta dicta.* Plautus: Epeum *fumificum cocum,* Ab Epeo *illo, qui dicitur ad* 23 Troiam *feciſſe equum* Troianum Argiuis, *& aptè cibum curaſſe: ideo ait* Epeũ *fumificum, qui legioni noſtræ habet coctum cibum.* Apud Ennium: Atque *prius pariet locuſta lucam bouem. Luca bos elephas, cur ita ſit dicta, duobus modis inueni ſcriptum.* Nam *&* in C. Aelij *commentario erat à* Libycis Lucas, *& in* Verginij* *commentario ab* Lucanis Lucas. *ab eo quòd noſtri maximam quadrupedẽ, quã ipſi haberent, uocarent bouẽ: & cùm in* Lucanis Pyrrhi *bello primum uidiſſent apud hoſteis elephantos, identidem quadrupedes cornuatas, nam quos dentes multi dicunt, ſunt cornua, lucam bouem appellaſſe.* Si à Libys *dictæ eſſent lucæ, pantheræ & leones non* Africanæ *beſtiæ dicerentur, ſed lucæ.* Si ab Lucanis *dictæ, urſi cur potius* Lucani, *quàm* Luci* *dicti?* Quare *ego arbitror potius lucas ab luce, quòd longe relucebant propter inauratos regios clypeos, quibus eorum tùm ornatæ erant turres.* Ennius: Orator *ſine pace redit, regiq́; refert* 24 *rem.* Orator *ab oratione dictus.* Qui *enim uerba haberet orationum publicè aduerſus eum, cum quo belligerabatur, ab oratione orator dictus: cùm res maior erat, eò legabantur potiſſimum, qui cauſſam commodiſſimè orare poterãt.* Itaque Ennius *ait:* Oratores *doctiloqui.* Apud Ennium: Olli *reſpondet ſuauis ſonus* Egeriai. Olli *ualet*

*Vergilij

*fortè lupi

dictum illi,ab olla,& ollus:quòd alterũ comitijs cùm reci
tatur, à præcone dicitur,olla centuria,non illa: alterũ ap-
paret in funeribus indictiuis, cùm dicitur, ollus leto datus
25 eſt : quod Græcus dicit λήθη, id eſt, obliuioni. Apud
Ennium : Menſes conſtituit, idemq́; ancilia. Ancilia dicta
ab anciſu,quòd ea arma ab utraque parte, ut peltæ Thra-
26 cum inciſa. Saturnio in carmine: Libaq́;, fictores, Ar-
geos,& tutulatos.Liba,quòd libandi cauſſa fiunt:fictores
dicti à fingendis libis: Argei ab Argis. Argei fiunt è ſcir-
peis uirgultis,ſimulacra ſunt hominum triginta: * ea quo-
tannis à ponte ſublicio à ſacerdotibus publicè iaci ſolent in
Tiberim. Tutulati dicti hi,qui in ſacris in capitibus habe-
re ſolent,ut metã:id tutulus appellatur,ab eo quòd matres
familias crines conuolutos ad uerticem capitis,quos habẽt
uti uelatos,dicunt tutulos : ſiue ab eo , quòd tuendi cauſſa
capilli fiebant:ſiue ab eo, quòd altiſſimũ in urbe quod eſt,
ea res tutiſſima,tutulus uocatur. Eũdem Pompiliũ Nu-
mam ait feciſſe flamines,qui cùm oẽs ſint à ſingulis deis co-
gnominati, in quibuſdam apparent etyma, ut cur ſit Mar-
tialis,Quirinalis. Sunt in quibus flaminum cognominibus
latent origines,ut qui ſunt in uerſibus pleriq́;, Volturna-
lis, Palatualis, Furinalis, Floralis, Falacer, Pomonalis:
obſcura eſt eorũ origo, Volturnus, Palatua, Furina, Flo-
ra, Falacer: Pomona pomorũ patrona. Apud Ennium:
Iam cata ſigna feræ ſonitũ dare uoce parabant. Cata acu-
ta, hoc enim uerbo Sabini dicunt : quare Catus Aelius
Sextus, non ut aiunt ſapiens,ſed acutus, & quod eſt, tunc
cœpit memorari. Simul cata dicta,accipienda acuta dicta.
27 Apud Lucilium : Thynno capto coruum excludunt foras,
occiduntq́; lupos aperdite, & iura ſiluri. Sume rete, atq;
amiam, Piſcium nomina ſunt, eorumq́; in Græcia origo.
Apud

* Vigintiquattuor:

Apud Ennium: Quæque cæruleo freto orta nare cœpta.

* DESVNT QVAEDAM.* Caua cortina dicta, quòd eſt inter terram & cælũ, ad ſimilitudinem cortinæ Apollinis: ea à corde, quòd inde ſortes primũ æſtimatæ. Apud Enniũ, Quin inde inuictis ſumpſerunt per- 28
duellibus. Perduelles ſunt hoſtes: ut perficit, ſic perduellum duellum, id poſtea bellum. Ab eadem cauſſa facta Duellona, Bellona. Apud Plautum: Neq; iugula, neq; ueſperugo, neque uergiliæ occidunt. Iugula ſignum eſt, quod Actius appellat Oriona, cùm ait: Citius Orion pateſit. Huius ſigni caput dicitur è ſtellis quattuor*, quas inſra duæ claræ, quas appellant humeros, inter quas quòd uidetur iugulum, inde iugula dicta. Veſperugo ſtella, quæ ueſpere oritur, à quo etiam Opilius ſcribit ueſperũ. Itaq; dicitur, alter ueſper adeſt, quem dicunt Græci διέσπερον. Næuius patrem ſuum optimum appellat ſupremum. Supremum à ſuperrimo dictum. Itaque in duodecim tabulis, ſolis occaſu diei ſuprema tempeſtas eſto. Libri Augurum pro tempore tempeſtatem dicunt, id eſt ſupremum augurij tempus. In Corniculària: Qui regi latrocinatus de- 29
cem annos Demetrio. Latrones dicti ab latere, qui circum latera erant regi, atque ad latera habebant ferrum, quos poſtea à ſtipatione, ſtipatores appellarunt, & qui conducebãtur mercede. Ea enim merces dicitur Græce λάτρον, καὶ σάτρον. Ab eo ueteres poëtæ nonnunquã milites ap- 30
pellant latrones, quòd itent uti illi milites cum ferro, aut quòd latent ad inſidias faciendas. Apud Næuium: Riſi egomet caſſabundum ire ebrium. Caſſabundũ à cadendo.

Item: Diabathra in pedibus habebat, & erat amictus 31
epicroco. Vtrumque uocabulum Græcum. In Menæchmis Plauti: Inter ancillas ſedere iubeas, lanã carere. Idẽ 32

* tribus

*Aemathia eſt hoc uerbum in Coſmotria * Næuij. Carere à carendo,
quòd eam tùm purgant, ac deducunt, ut careat ſpurcitia,
ex quo carminari dicitur tùm lana. Cùm caret eo, quod in
ea eſt nequam, eſt lana quam in Romulo Næuius appellat
33 Oſcam, ab Oſcis. In Perſa: Iam pol ille hic aderit credo
congerro meus. Congerro à gerra, & Græcum eſt, & in
Latina cratis. In Menæchmis: Idem iſtuc alijs adſcri-
ptiuis ad legionem fieri ſolet. Adſcriptiui dicti, quòd olim
adſcribebantur inermes, qui ſuccederēt armatis militibus,
34 id eſt, ſi quis eorum deperiſſet. In Trinummo: Nam il-
lum tibi ferentarium: à ferendo, id eſt, inanem, ac ſine fru-
ctu: aut quòd ferentarij equites hi dicti, qui ea modo ha-
bebant arma, quæ ferrētur, ut iaculum. Huiuſcemodi equi-
tes pictos uidi in Eſculapij æde uetere, & ferentarios ad-
35 ſcriptos. In Friuolaria: Vbi rorarij eſtis? en ſunt: ubi
accenſi? ecce. Rorarij dicti à rore, qui bellum committe-
36 bant ante: ideo quòd ante rorat, quàm pluit. Accenſos mi-
niſtratores Cato eſſe ſcribit: poteſt id ab arbitrio, nam id
37 eſt ad arbitrium eius, cuius miniſter. (Pacuuius deum
triportēta in Mercatore ponit. Idem in Mercatore: Non
38 tibi iſtuc magis diuidiæ eſt, quàm mihi hodie fuit. Hæc ea-
dem in Corollaria Næuij. Diuidia à diuidendo dicta, quòd
39 diuiſio diſtractio eſt doloris. Itaq; in Curculione ait: Sed
quid tibi'ſt? lien necat, renes dolēt, pulmones diſtrahun-
tur. In Phagone: Honos ſynceraſto perit. Synceraſtum
eſt omne edulium antiquo uocabulo Græco. In Paraſito
pigro: Domum ire cœpi tramite dextra uia. Trames à
tranſuerſo dictus. In fugitiuis: Age, euge, ſpecta, uide
uibices quantas. Iam inſpexi, quid eſſent. Vibices alij ex-
citatum uerberibus corpus. In Neruolaria: Non quaſi,
ut hæc ſunt hic, limaces liuidæ. Limax à limo, quòd ibi ui-
uit,

uit. Diobolares,*ſchœniculæ, miraculæ.*Diobolares,*à bi=* 41 *nis obolis: ſchœniculæ ab ſchœno nugatorio unguēto. Mi= raculæ à miris,id eſt,mōſtris.* A quo Actius ait:*Perſonas di= ſtortas oribus deformeis,miriones.* Ibidē: *Scrantiæ,ſcru-* 42 *pedæ,ſtritabillæ,Tantalæ.* Ab ſcreādo, *ſcrātiæ,ſic adſigni= ficat.* Scrupedā Aurelius *ſcribit auſcarlpedā:* Iuuentius *co= micus dicebat,à uermiculo piloſo, qui ſolet eſſe in fronde cum multis pedibus.* Valerius *à pede ac ſcrupea: ex eo ab* Actio *poſitū* [illegible]*curioſa itaq; es* Menalippe? Reijcis *abs te religionē? ſcrupeā imponas. Stritabillas à ſtritilādo. Stri= tare ab eo, qui ſiſtit ægrè.* In Aſtraba*: Actioſa annonā* 43 *è uili concinna uiris.*Ideo in Sitelitergo idem ait,Mulieres *uxorculauit,ego noui ſcio actioſas:quas ſic* Claudius* *ſcri-* * Carbilius *bit actioſas demonſtrari ſuſpicatrices, ab agendo actioſas: ut ab una faciendo factioſæ, ſic ab una agendo actioſæ di= ctæ.* In Ceſtione*: Ceraſtibola, ut de lumbo obcænabis. Ceraſtibola* Opilius *ſcribit circum coxendices ſunt nobis: id* Grecū *eſt ab huius loci uerſura.* In Neruolaria*: Sco= binam ego illam actutum adraſi. Scobinam à ſcobe. Lima enim materiæ fabrilis eſt.* In Pœnulo*:* Vinceretis *cer=* 44 *uum curſu,uel grallatorem gradu. Grallator à gradu ma= gno dictus.* In Truculento*: Sine uirtute argutum ciuem mihi habeam pro præfica.Præfica,ut* Aurelius *ſcribit,mu= lier ab luctu,quæ conduceretur, quæ ante domum mortui laudes eius caneret: hoc factitatum* Ariſtoteles *ſcribit in libro qui inſcribitur,*Nomina Barbarica*: quibus teſtimo= nium eſt, quod* Fretum Næuij*: Hæc quidem hercle opinor præfica eſt,nā mortuos conlaudat.* Claudius *ſcribit:ea,quæ præficeretur ancillis, quēadmodum lamentarētur, præfica eſt dicta: utrumq; oſtendit à præfectione præficā dictam.*

Apud Enniū: *Decem coclites, quos montibus ſummis*

riplis ſedere. Ab oculo cocles, quaſi ocles dictus, qui unum haberet oculum: quocirca in Curculione eſt: De coclitum proſapia te eſſe arbitror. Nam hi ſunt unoculi. NVNC *de temporibus dicam. Quod eſt apud Caßium: Nocte intempeſta noſtrã deuenit domum. Intempeſta nox dicta ab tempeſtate. Tempeſtas ab tempore: intempeſta nox, quo tempore nil agitur. Quid noctis uidetur? in altißimo cæli clypeo temo ſuperat ſtellas, ſublime cogens etiã atq; etiam noctis iter. Hic multam noctem oſtendere uult à temonis motu. Sed temo unde, & cur dicatur latet. Arbitror antiquos ruſticos primum notaſſe quædam in cælo ſigna, quæ præter alia erãt inſignia, atque ad aliquem uſum culturæ tempus deſignandum conuenire aduertebantur.*

45 *E queis ſigna ſunt, quòd has ſeptem ſtellas Græci, ut Homerus uocat* ἅμαξαν, *& propinquũ eius ſignum* βοώτην: *noſtri eas ſeptem ſtellas boues, & triones, & prope eas axẽ. Triones enim, et boues appellãtur à bubulcis etiã nũc, maximè cùm arant terrã: è queis ut dicti ualentes glebarij, qui facile proſcindunt glebas: ſic omnes, qui terrã arabant, à terra teriones, unde triones ut dicerentur E detrito. Temo dictus à tenendo: is enim continet iugũ, & plauſtrum, appellatum à parte totũ, ut multa. Poſſunt triones dici ſeptem, quòd ita ſitæ ſtellæ, ut terna trigona faciant.*

Aliquod lumen, iubárue in cælo cerno? Iubar dicitur ſtella lucifer, quæ in ſummo habet diffuſum lumẽ, ut leo in capite iubã. Huius ortus ſignificat circiter eſſe extremam
46 *noctem. Itaq; ait Pacuuius: Exorto iubare, noctis decurſo itinere. Apud Plautũ in Paraſito Pigro: Inde hic bene potus primo crepuſculo. Crepuſculũ dictum à Sabinis, id dubiũ tempus noctis an diei ſit. Itaq; in Condalio eſt: Tam crepuſculo ferè, ut ament lãpadas accẽdere. Ideo dubiæ res*

creperæ

creperæ dictæ. In Trinummo: *Cōcubiū ſit noctis prius, quàm ad poſtremū perueneris. Concubiū à concubitu dormiendi cauſſa dictum.* In *Aſinaria: Videbitur, factū uolo, redito hûc conticinio. Conticiniū puto à conticeſcendo dictum, ſiue ut* Opilius *ſcribit ab eo quod cōticuerunt homines.* NVNC *de his rebus, quæ adſignificant aliquod tempus, cùm dicuntur, aut fiunt, dicam.* Apud Actiū: Reciproca *tendens neruo equino concita tela.* Reciproca *eſt, cùm unde quid profectum, redit eò: quod ab recipere reciprocare fictū, aut quod poſcere procare dictū.* Apud 47 *Plautum: Vt tranſuerſus, non prouerſus cedit, quaſi cancer ſolet.* Dicitur *ab eo, qui it in id quod eſt uerſus.* Et *ideò qui exit in ueſtibulū, quod eſt ante domū, prodire, & procedere dicitur: quod cùm leno non faceret, ſed ſecundū parietē tranſuerſus iret, dixit: ut tranſuerſus cedit, quaſi cancer, non prouerſus, ut homo.* Apud Ennium: *Andromachæ nomē qui indidit, rectè indidit.* Itē: Quapropter *Parim paſtores nunc* Alexandrū *uocant.* Imitari *dum uoluit* Euripidem, *& ponere etymon, eſt lapſus.* Nam Euripides *quòd Græca poſuit, etyma ſunt aperta.* Ille *ait ideo nomen additū* Andromachæ, *quod* ἀνδρὶ μάχεται. *hoc Ennij quis poteſt intellegere in uerſu ſignificare:* Andromachæ *nomē qui indidit, rectè indidit? aut* Alexandrū *ab eo appellatum in Græcia, qui* Paris *fuiſſet? à quo* Herculem *quoq; cognominatum* Ἀλεξίκακον, *ab eo, quòd defenſor eſſet hominū.*

Apud Actium: Iamq; *auroram rutilare procul cerno. Aurora dicitur ante ſolis ortum, ab eo quòd ab igne ſolis tum aureo aër aureſcit.* Quod *addit rutilare, eſt ab eodem colore. Aurei enim rutili, & inde etiam mulieres ualdè rufæ, rutilæ dictæ.* Apud Terentiū: *Scortatur, potat, olet* 48 *unguentum, de meo. Scortari eſt ſæpius meretriculam*

*ducere, quæ dicta à pelle. Id enim non ſolùm antiqui dice-
bant ſcortum: ſed etiam nunc dicimus ſcortea ea, quæ ex
corio, & pellibus ſunt facta. Inde in aliquot ſacris ac ſacel-
lis ſcriptum habemus: ne quid ſcorteum adhibeatur, ideo,
ne morticinum quid adſit. In Atellanis licet animaduerte-
re ruſticos dicere, ſe adduxiſſe pro ſcorto * pelliculam.*

* ſcorteo

*Apud Accium: Multis omen ueſtrum, numenq́; cien-
do. Numen dicunt eſſe imperium, dictum ab nutu: omina
ſunt eius, cuius imperium maximum eſſe uideatur. Itaque
in Ioue hoc & Homerus, & aliquotiens Liuius. Apud*
49 *Plautum: Si unum epityrum edam apud illum eſuriens in-
ſane. Bene epytirum: uocabulum eſt cibi, quo frequẽtius
Sicilia, quàm Italia uſa. Idẽ uehementer cùm uellet dicere,*
50 *dicit inſanè: quòd inſani faciũt omnia uehemẽter. Apud
Pacuuiũ: Flexanima tanquam lymphata: dicitur à lympha
nympha, ut apud Græcos Thetis. Apud Enniũ: Ea The-
tis illi mater. In Græcia cõmota mẽte, quod λυμφολήπτους
appellãt. ab eo lymphatos dixerũt noſtri. Bacchus Liber,
cuius comites Bacchæ, & uinum in Hiſpania Baccha: ori
go in his omnibus Græca. Apud Pacuuiũ: Halcyonis ri-*
51 *tu littus peruolãs feror. Hæc enim auis nũc Græce dicitur
ἀλκυών, à noſtris halcedo: hæc hieme quòd pullos dicitur
trãquillo mari facere, eos dies halcyonios appellãt. Quod
eſt in uerſu, Halcyonis ritu: id eſt, eius inſtituto: ut cũ ha-
ruſpex præcipit, ut ſuo quiſq; ritu ſacrificiũ faciat: & nos*
52 *dicimus duodecim uiros Græco ritu ſacra nõ Romano fa-
cere. Quod enim fit ritè, id ratũ ac rectũ: ab eo Accius rite
perfectis ſacris uult accipi. Apud Ennium: Si uoles ad-
uortere animũ, comiter mõſtrabitur. Comiter, hilarè, ac
lubenter, cuius origo Græce κῶμος: inde Latinè comiſſa-
tio dicta, & à Græcis, ut quidam dicunt, comœdia.*

Apud

Apud Atilium: Cape, cæde Lyde, come, conde. Cape, unde
accipe, ſed hoc in proximo libro retractandum. Apud
Pacuuium: Nulla res neque cicurare, neque mederi potis
eſt, neque reficere. Cicurare, manſuefacere. quod enim à
fero diſcretum, id dicitur cicur: & ideo dictum, cicur in-
genium optineo, manſuetum: à quo Veturij quoque nobi-
les cognominati Cicurini. Id natum à cico: cicum dicebant
membranam tenuem, quæ eſt in malo Punico diſcrimen.
A quo etiam Plautus dicit: Quod uolet, denſum cicum non
interduo. Apud Næuium: Eccum uenire uideo fermè in- 53
iuria. Fermè dicitur, quod nūc ferè: utrumq; dictum à fe-
rendo, quòd id quod fertur, eſt in motu, atque aduentat.
Apud Plautū: Euax iurgio uxorem tandē abegi ab ianua. 54
Euax uerbum nihil ſignificat, ſed effuticium * naturaliter * effutitum
eſt: ut apud Enniū: Hehe ipſe clypeus cecidit. Apud Næ-
uium: Eheu mea puella, ſæpe quidē is ſuccenſet tibi. Apud 55
Pompilium, Heu qua me cauſſa fortuna infeſta premis?
Quod ait, iurgio, id eſt litibus. Itaq; quibus res erat in cō- 56
trouerſia, ea uocabatur lis: ideo in actionibus uidemus di-
ci: Quam rem, ſiue litem dicere oportet. Ex quo licet ui-
dere iurgare ab iure dictum: cùm quis iure litigaret: à quo
obiurgat is, qui id facit iniuſtè. Apud Lucretiū: Atque 57
aliquos ibi ab rebus clepſere foro. Qui clepſere dixit: un-
de etiam alij clepere: id eſt, corripere: quorū origo à clam,
ut ſit dictum clapere, & ex E, A commutato, ut multa, eſt
factum clepere: poteſt & à Græco dictū, κλέπτειν. Apud 58
* Matium. Corpora Graiorum mærebar mandier igni: * Marcium
dictum mandier à mandendo, unde manducari: à quo in uatem
Atellanis obſonium uocant manducum. Apud * Matium: Marcium
Obſcæni interpres, funeſtiq; ominis auctor. Obſcænū di- uatem.
ctum ab ſcæna: ea ut Græci, ut Accius ſcribit, ſcena. In plu-

ribus uerbis A ante E alij ponunt, alij non, ut quòd partim dicunt ſcæptrum, partim dicunt ſceptrum, alij fænus, alij fenus: ſic fæniſicia, & feniſicia: à quo ruſtici pappum mæſum, non meſum. A quo Lucilius ſcribit: Cæcilius ne ruſticus fiat. Quare turpe, id, obſcænũ: quod niſi in ſcæna palam dici nõ debet: poteſt uel ab eo, quod pueris turpicula res in collo quædam ſuſpẽditur, nequid obſit bonæ ſcæuæ cauſſæ: inde Scæuola appellatus. Ea dicta ab ſcæua, id eſt ſiniſtra: quòd quæ ſiniſtra ſunt, bona auſpicia exiſtimantur. A quo dicuntur comitia, aliud'ue quid ſit, dici aue ſiniſtra, quæ nunc eſt. Id à Græco eſt, quòd hi ſiniſtrã uocant σκαιόν. Quare quod dixi ſcæuum bonum omen eſt, obſcænum uerò turpe: quod inde dicitur obſcænè, quod
59 *exotericum.* Apud Plautum: *Qui ego antehac te amaui, & mihi amicã eſſe creui: ualet, conſtitui. Itaq; heres, cùm conſtituit ſe heredem eſſe, dicitur cernere, & cùm id fecit, creuiſſe.* Apud eundem quod eſt: *Mihi frequentem operam dediſtis, ualet adſiduã. Itaque qui adeſt adſiduus: ferre quem oportet, is frequens opponi ſolet. Itaque illud quod eædem mulierculæ dicũt: Pol iſtoc quidem nos pretio facile eſt frequentare: ita in prandio nos lepidè, ac nitidè accepiſti: apparet dicere, facile eſt curare ut adſimus, cùm tam bene nos accipias.* Apud Ennium: *Decretũ eſt foſſare corpora telis: hoc uerbũ Ennij dictum à fodiendo, à quo foſſa.* Apud Ennium: *Vocibus concide fac ſiet obrutus.* * DESVNT QVAEDAM * *Muſſare dictum, quod muti non amplius quàm μῦ dicunt. A quo idem dicit: Quod minimũ eſt, neq;, ut aiunt, μῦ face*
60 *re audet.* Apud Pacuuiũ: *Dij mouerint meliora, atque amentiã auerruncaſſint. A uertendo auerruncare, ut deus, qui eis rebus præeſt, Auerrũcus. Itaque ab eo precari ſolent,*

lent,ut pericula auertat. In Aulularia: Pipulo differam 61
hic ante ædeis:id eſt conuicio:declinatũ à pipatu pullorũ.
Multa ab animalium uocibus tranſlata in homines:partim
quæ ſunt aperta,partim obſcura.Perſpicua,ut Ennij: Ani=
mus cum pectore latrat.Plauti: Gannit odioſus omni totæ
familiæ. Cæcilij:Tantã rem dibalare,ut pro nihilo habue=
rit.Lucilij : Hæc inquam,rudet ex roſtris, atq; hinnilitat.
Eiuſdem: Quantum hinnitum,atq; equitatum. Cùm minus
aperta:Porcij,ab lupo:Volutare ululantis. Ennij,à uitulo:
Tibicina maximo labore mugit.Eiuſdẽ à boue : Clamore
bouantes.Eiuſdem à leone:Pauſam fecere fremendi.Eiuſ=
dem ab hædo:Clamor ad cælũ uoluẽdus per æthera uagit.
Et à frendice:Frũde frutimi* ſuauiter.M.Actius in Caſi= *Erutimi
na à fringuilla: Quid fringutis?quid iſtuc tã cupidè cupis? 62
(ſues auoluerat.Ita trude neque in iure neque in iudicium
Aeſopi,nec theatrales. In Colace) Nexũ.Manilius ſcri= 63
bit omne quod per libram & æs geritur,in quo ſint man=
cipi:Mucius Scæuola, quæ per æs & librã fiant, ut obli-
gentur,præterquam ſi mancipio dentur. Hoc uerius eſſe
ipſum uerbum oſtendit,de quo quæritur.Nam idem quod
obligatur per librã,neq; ſuum fit,inde nexũ dictũ. Liber
qui ſuas operas in ſeruitute pro pecunia,quã debeat, dat,
dum ſolueret,nexus uocatur:ut ab ære obæratus. Hoc C. 64
Popilio rogante Sylla* dictatore ſublatum ne fieret: & *C.Poëtelio
omnis, qui bonam copiã eiurarent, nec eſſent nexi,diſſo= Viſolo)
luti. In Caſina: Sine amet,ſine quod lubet,id faciat:quãdo 65
tibi nil domi deliquiũ eſt. Deliquiũ dictũ ab eo,quod deli=
quatur:ut turbida,quæ ſunt,deliquantur, ut liquida fiant.
Aurelius ſcribit deliquium eſſe à liquido. Claudius ab eli=
quato. Si quis alterutrum ſequi malit, habebit auctorem
Cæcilium : Per lætitiam liquitur animus:à liquãdo liqui-

tur fictum. Multa apud poëtas reliqua eſſe uerba,quorũ
origines poſſunt dici,nõ dubito,ut apud Næuium in Eſio=
66 na.Enimuero gladij lingula,à lingua. In Claſtidio : Vitu=
lantes , à uitula. In Dulorcſte : Cuperata fronte, à capræ
67 fronte. In Demetrio : Perſicus , à peritè . Itaque ſub hoc
68 gloſſema callide ſubſcribunt. In Lampadione : Protinam,à
protinus continuitatem ſignificãs. In Agidone:Candacus,
ſuauis,tametſi à magiſtris accepimus manſuetum. In Ro=
mulo:ſponſus,cõtra ſponſum rogatus.In Stigmatia:Præ=
bia,à præbendo, ut ſit tutum, quòd ſint remedia in collo
pueris.In Therimo:Confictitant,à cõficto cõuenire dictũ.
69 In Tarentilla Pacuuij : Ab luce,inluſtre. In Tunicularia:
Exbolas quaſſant,eijciũt:à Græco uerbo ἐκβολὴ dictum.
In Bello Punico : Nec ſatis reſerare,ab ſera dictum,id eſt
aperire.Hinc etiam ſeræ,quibus remotis fores pandũtur.
Sed uereor,ne plures ſint futuri, qui de hoc genere me,
quòd nimium multa ſcripſerim,reprehẽdant,quàm quòd
reliquerim quædã,accuſent : ideo potius iam reprimendũ,
quàm producendũ * puto eſſe uolumen. Nemo reprehen=
ſus , qui è ſegete ad ſpicilegium reliquit ſtipulam. Qua=
re inſtitutis ſex libris , quemadmodum rebus Latina no=
mina eſſent impoſita ad uſum noſtrum , è queis treis ſcri=
pſi P.Septimio,qui mihi fuit quæſtor:treis tibi,quorũ hic
eſt tertius,priores de diſciplina originis uerborũ , poſte=
riores de uerborũ originibus:in illis,qui ante ſunt,in pri=
mo uolumine eſt, quæ dicantur, cur etymologicè neq; ſit,
neque ea utilis ſit:in ſecundo,quæ ſit,& cur ea ſit,& in
illis ſit:in tertio,quæ forma etymologiæ. In ſecundis tri=
bus,quos ad te miſi, item generatim diſcretis, primum in
quo ſunt origines uerborum,locorum, & earum rerum,
quæ in locis eſſe ſolent : ſecundum,quibus uocabulis tem=
pora

* procudendum

pora ſint notata, & hæ res, quæ in tēporibus fiunt. Tertius hic, in quo à poëtis item ſumpta utilia, quæ dixi in duobus libris ſoluta oratione. Quocirca, quoniam omnis operis de lingua Latina treis feci partes, prima quemadmodum uocabula impoſita eſſent rebus, ſecunda quemadmodum ea in caſus declinātur, tertia quemadmodum coniungerentur: prima parte perpetrata, ut ſecundam ordiri poſsimus, huic libro faciam finem.

M. TERENTII VARR. DE LINGVA LATINA,

Liber ſeptimus.

QVOM *oratio natura tripartita eſſet, ut ſuperioribus libris oſtendi, cuius prima pars, quemadmodū uocabula rebus eſſent impoſita, ſecunda quo pacto de his declinata in diſcrimina ierunt, tertia, ut ea inter ſe ratione coniuncta ſententiam efferant: prima parte expoſita, de ſecunda incipiam hinc. Vt propago omnis natura ſecunda, quòd prius, illud rectū, unde ea ſit declinata. Itaque declinatur in uerbis rectum homo, obliquum hominis, quod declinatū à recto. De huiuſce multiplici natura diſcriminū oræ ſunt hæ: cur, & in quo, et quēadmodū in loquēdo declinata ſunt uerba. De quibus duo prima duabus cauſsis percurram breuiter: quòd & tum, cùm de copia uerborum ſcribam, erit retractandum, & quod de tribus tertium quod eſt, habet ſuas permultas, ac magnas parteis. Declinatio inducta in ſermones non ſolùm Latinos, ſed omnium hominum utili, & neceſſaria de cauſſa. Niſi enim ita eſſet factū, neq; dicere tantū numerum uerborum poſſemus: infinitæ enim ſunt naturæ, in quas ea declinan*

clinantur : neque quæ didiciſſemus, ex his, quæ inter ſe * *agnatio* *rerum cognatio * eſſet, appareret.* At nunc *ideo uidemus, quod ſimile eſt, quod propagatum, legi, ut declinatum eſt à lego: duo ſimul apparent quodammodo, eadem dici, & non eodem tempore factũ. Vt ſi uerbi gratia alterũ horum diceretur* Priamus, *alterum* Hecuba, *nullam unitatem adſignificaret, quæ apparet in lego, & legi, & in* Priamus, Priami. *Vt in hominibus quædam ſunt cognationes,* * *agnationes* * *& gentilitates, ſic in uerbis. Vt enim ab Aimilio homines orti* Aimilij, *ac gentiles, ſic ab* Aimilij *nomine declinatæ uoces in gentilitate nominati. Ab eo enim, quod eſt impoſitum recto caſu* Aimilius, *ortæ* Aimilij, Aimiliũ, Aimilios, Aimiliorum, *& ſic reliqua, eiuſdem quæ ſunt ſtirpis. Duo igitur omnino uerborum principia impoſiticiorum & declinatorum: alterum ut fons, alterum ut riuus. Impoſiticia nomina eſſe uoluerunt quàm pauciſſima, quò citius ediſcere poſſent: declinata quàm plurima, quæ iſtoc opere facilius omnes, quibus opus eſſent, diſcerent. Ad illud genus, quod prius, hiſtoria opus eſt: niſi deſcendendo enim aliter id non peruenit ad nos: ad reliquũ genus, quod poſterius, ars, ad quã opus eſt paucis præceptis, quæ ſunt breuia. Quæ enim recte in uno uocabulo declinare didiceris, in infinito numero nominũ uti poſſis. Itaque nouis nominibus adlatis in conſuetudinem, ſine dubitatione eorum declinatus ſtatim omnis diſcit populus. Et iam nouicij ſerui empti in magna familia, cito omnium conſeruorũ nomina recto caſu accepto in reliquos obliquos declinant. Qui ſi nonnunquam offendunt, non eſt mirum: etenim illi, qui primi nomina impoſuerunt rebus, forſitan in quibuſdam ſunt lapſi. Voluiſſe enim putant ſingulares res notare, ut ex ijs in multitudine declinarentur, ut eſt ab homine*

homines

hominès,ſic mares liberos uoluiſſe notari, ut ex his femi=
næ declinarētur, ut eſt à Terētio Terētia:ſic in recto caſu
quas imponerent uoces,ut illinc eſſent futuræ, quæ decli-
narentur: ſed hæc in omnibus tenere nequiſſe: quod &
una dicuntur ſcopæ,& mas,& femina aquila,& recto,
& obliquo uocabulo uis.Cur hæc non tam ſint in culpa,
quā putant pleriq;,ſoluere non difficile,ſed nunc non ne=
ceſſe.Non enim quod non potuerūt adſequi,ſed quod uo=
luerunt,ad hoc quod propoſitum,refert.Quod nihilo mi=
nus declinari poteſt ab eo,quod impoſuerunt ſcopæ,ſco-
pa,quàm ſi impoſuiſſent ſcopa,ab eo ſcopæ:ſic alia.Cauſ=
ſam quare ab impoſitis nominibus declinarint, oſtendi.
Sequitur, in queis uoluerint declinare, aut noluerint,ge= 1
neratim,ac ſummatim, item in formis. Duo enim genera
uerborum:unum fecundum,quod declinando multas ex ſe
parit diſpariles formas, ut eſt lego, legis, legam,ſic alia:
alterum genus ſterile,quod ex ſe parit nihil,ut eſt etiam,
uix,magis,cras,cur.Quarum rerum uſus erat ſimplex,ibi
etiam uocabuli declinatus:ut in qua domo unus ſeruus,uni
ſeruo poſt nomen, in qua multi, pluribus. Igitur & * in * ea
his rebus,quarū ſunt nomina,quòd diſcrimina uocis plu= 2
ra, propagines plures. In his rebus, quæ copulæ ſunt, ac
his iunguntur uerba,quòd nō opus fuit declinari in plura,
ferè ſingula ſunt.Vno enim loro colligare poſſis uel homi
nem,uel equū,uel aliud quod,quidquid eſt,quod cū altero
poteſt colligari. Sic quod dicimus in loquēdo:Conſul fuit
Tullius,& Antonius: eodem illos et omneis binos conſu=
les colligare poſſumus:uel dicam amplius,omnia nomina,
atque ideo etiā omni auerba tùm fiunt ex una ſyllaba unū,
cùm & illud maneat. Quare duce natura,ſi quæ impoſita 3
eſſent uocabula rebus: * MVLTA DESVNT. * Ne
ab

* declinãdus ab omnibus his declinatus * putarent, quorum generum declinationes oriuntur, partes orationis ſunt duæ, ſi item ut Dion, in treis diuiſerimus partes res, quæ uerbis adſignificantur: una, quæ adſignificat caſus: altera, quæ tempora: tertia quæ neutrũ. De his Ariſtoteles duas partes orationis eſſe dicit, uocabula, & uerba, ut homo & equus, & legit & currit. Vtriuſq; generis & uocabuli, & uerbi, quædam priora, quædam poſteriora: priora, ut homo ſcribit: poſteriora, ut doctus & doctè: dicitur enim homo doctus, & ſcribit doctè. Hæc ſequitur & locus, & tempus, quod neque homo, neque ſcribit, poteſt ſine loco, & tempore eſſe: ita ut magis ſit locus homini coniunctus, tempus ſcriptioni, cùm de his nomen ſit primum. Prius enim nomen eſt, quàm uerbum temporale, & reliqua poſterius, quàm nomen & uerbum. Prima igitur nomina. Quare de eorum declinatione, quàm de uerborũ antè dicam. Nomina declinantur, aut in earum rerum diſcrimina, quarum nomina ſunt, ut à Terentius Terentij: aut in eas res extrinſecus, quarum ea nomina non ſunt, ut ab equo, equile.

4 In ſua diſcrimina declinãtur, aut propter ipſius rei naturam, de qua dicuntur, aut propter illius, qui dicit. Propter ipſius rei diſcrimina, aut à toto, aut à parte. A toto, ut ab homine homunculus, à capite capitulum: propter multitudinem, ut ab homine homines, ab eo, quod alij dicũt ceruices, & id Hortenſius in poëmatis ceruix. Quæ à parte declinata, aut à corpore, ut à mamma mammoſa, à manu manubiæ: alia ab animo, ut à prudẽtia prudens, ab ingenio ingenioſus: hæc ſine agitationibus: aut ubi motus maiores, item ab animo, ut ab ſtrenuitate, & nobilitate, ſtrenui & nobiles. Sic à pugnando, & currendo, pugiles, & curſores. Vt aliæ declinationes ab animo, aliæ à corpore: ſic

aliæ

aliæ quæ extra hominē, ut pecunioſi, agrarij, quòd foris pe-
cunia & ager. Propter eorū, qui dicūt uſum, ſunt declina- 5
ti caſus, ut is, qui de altero diceret, diſtinguere poſſet, cùm
uocaret, cùm daret, cùm accuſaret: ſic alia quidem diſcrimi-
na, quæ nos, & Græcos ad declinandum duxerūt. Sine cō-
trouerſia ſunt hi quinq;, quis uocetur, ut Hercules: quēad-
modum uocetur, ut Hercules: quò uocetur, ut ad Hercu-
lem: cui uocetur, ut Herculi: cuius uocetur, ut Herculis.
Propter ea uerba, quæ erant proinde ac cognominata, ut
prudens, candidus, ſtrenuus, quod in his præterea ſunt di-
ſcrimina propter incrementum, quod maius, uel minus in
his eſſe poteſt, acceſſit declinationum genus, ut à candido,
candidius, candidiſſimum: ſic à longo, diuite, id genus a-
lijs, ut fieret. Quæ in eas res, quæ extrinſecus declinan-
tur, ſunt ab equo equile, ab ouibus ouile, ſic alia. Hæc con-
traria illis, quæ ſuprà dicta, ut à pecunia, pecunioſus, ab ur-
be urbanus, ab atro atratus. Vt nonnumquam ab homine
locus, ab eo loco homo: ut à Romulo Roma, à Roma Ro-
manus. Aliquot modis declinata ea, quæ foris: nam aliter
qui à maioribus ſuis Latonius, & Priamides: aliter quæ à
facto, ut à prædando præda, à merendo merces. Sic alia
ſunt, quæ circum ire non difficile: ſed genus iam uidetur,
& alia urguent, omitto. In uerborum genere, quæ tem- 6
pora adſignificant, quòd ea erant tria, præteritum, præ-
ſens, futurum, declinatio facienda fuit triplex, ut ſaluto, ſa-
lutabam, ſalutabo. Cùm item perſonarum natura triplex
eſſet, qui loqueretur, de quo, ad quem, hæc ab eodem uer-
bo declinata, quæ in copia uerborum explicabuntur.
Quoniam dictum de duabus declinationibus cur, & in
qua ſit forma, tertium quod relinquitur, quemadmodū, nūc
dicetur. Declinationum genera ſunt duo, uoluntarium, &

*naturale: uoluntarium eſt, quò, ut cuiuſq; tulit uoluntas, de
clinauit. Sic tres cùm emerunt* Epheſi *ſingulos ſeruos: nõ-
7 numquam alius declinat nomen ab eo, quod uendidit* Ar-
temidorus, *atq;* Artemam *appellat: alius aut ab regione,
quòd ibi emit, ab* Ionia Ionam, *aut ab urbe* Epheſo Ephe- 8
*ſium: ſic alius ab aliqua alia re, ut uiſum eſt. Cõtra naturalẽ
* quæ declinationẽ dico, quod * non à ſingulorũ oritur uolũtate,
ſed à cõmuni cõſenſu. Itaq; omnes impoſitis nominibus, eo-
rũ itẽ declinant caſus: atq; eodẽ modo dicũt huius* Artemæ,
& huius Ionæ, *& huius* Epheſij, *ſic in alijs caſibus. Cùm
utrumq; nonnũquam accidat, & ut in uoluntaria declina-
tione animaduertatur natura, & in naturali uoluntas: quæ
cuiuſmodi ſint, aperietur infrà. Quod utraq; declinatio
ne, alia fiunt ſimilia, alia diſſimilia, de eo* Græci, Latiniq;
*libros fecerunt multos, partim cùm alij putarent in loquẽ-
do ea uerba ſequi oportere, quæ à ſimilibus ſimiliter eſſent
declinata, quas appellarunt* ἀναλογίας; *alij cùm id negle-
gendum putarent, ac potius ſequendam* συνήθειαν, *diſſi
militudinémque, quæ in cõſuetudine eſt, quam etiam uocãt*
ἀνωμαλίαν: *cùm, ut ego arbitror, utrumq; ſit nobis ſequẽ-
dum: quòd in declinatione uoluntaria ſit* ἀνωμαλία: *in na-
turali magis analogia. De quibus utriuſq; generis declina
tionibus libros faciam bis ternos: priores treis de earum
declinationum diſciplina: poſteriores ex eius diſciplinæ
propaginibus. De prioribus primus erit hic: quæ contra
ſimilitudinem declinationum dicantur. Secundus, quæ con-
tra diſſimilitudinem. Tertius de ſimilitudinũ forma. De qui
bus quæ expedierint, ſingulis tribus, tum de alteris toti-
dem ſcribere, ac diuidere incipimus.* INCIPAM,
*quod huiuſce libri eſt, dicere contra eos, qui ſimilitudi-
nem ſequuntur, quæ eſt, ut in ætate puer ad ſenem, ad*

anum

rum: in uerbis, ut eſt ſcribo ſcribam, dico dicam: prius contra uniuerſam analogiam, tum de ſingulis partibus à natura ſermonis incipiam. Omnis *oratio cùm debeat dirigi ad utilitatem, ad quam tum denique peruenit, ſi eſt aperta, & breuis, quum petimus, quòd obſcurus, & lon* 8 *gus orator eſt odio, et cùm efficiat, aperta, ut intellegatur, & apertam conſuetudo, breuem temperantia loquentis: & utrumque fieri poßit ſine analogia: nihil ea opus eſt. Neque enim utrum* Herculi, *an* Herculis *clauam dici oporteat, ſi doceat analogia, cùm utrumque ſit in conſuetudine, non neglegendum, quòd æquè ſunt, & breuia, & aperta.* Prætereà *quum utilitatis cauſſa quæque res ſit inuenta, ſi ex ea quis id ſit conſecutus, amplius eam ſcrutari non debet, cùm ſit nimium otioſi.* Et *cùm utilitatis cauſſa uerba ideò ſint impoſita rebus, ut eas ſignificent, ſi id conſequimur una conſuetudine, nihil prodeſt analogia.* Accedit, *quod quæcumque uſus cauſſa ad uitam ſint adſumpta, in his utilitatem quærimus, non ſimilitudinem.* Itaque *in ueſtitu, cùm diſsimilima ſit uirilis toga tunicæ muliebri; ſtola pallio, tamen inæqualitatem hanc ſequimur nihilominus.* In *ædificijs, quid non uidemus habe-* 9 *re atrium* περιστύλου *ſimilitudinem, & cubiculum adæquale? cùm tamen propter utilitatem in his diſsimilitudines potius, quàm ſimilitudines ſequamur: itaque & hiberna triclinia, & æſtiua, non item ualuata, & feneſtrata facimus.* Quare *cùm in ueſtitu, ædificijs, ſic in ſupellectile, cibo, cæteris omnibus, quæ uſu ad uitam ſunt adſumpta, dominetur inæqualitas: in ſermone quoque, qui eſt uſus cauſſa conſtitutus, ea non repudianda.* Quod *ſi quis duplicem putat eſſe ſummam, ad quas metas naturæ ſit perueniendum in uſu, utilitatis & elegantiæ: quod non*

ſolùm ueſtiti eſſe uolumus, ut uitemus frigus, ſed etiam ut uideamur ueſtiti eſſe honeſtè: non domum habere, ut ſimus in tecto, & tuto ſolum, quò neceſſitas contruſerit, ſed etiam ubi uoluptas retineri poſſit: non ſolùm ad uaſa ad uictum habilia, ſed & figura bella, atque ab artifice, quòd aliud homini, aliud humanitati ſatis eſt: quoduis ſitienti poculum homini idoneum, humanitati, niſi bellum parum. Sed cùm diſceſſum eſt ab utilitate ad uoluptatem, tamen in eo ex diſsimilitudine plus uoluptatis, quã ex ſimilitudine ſæpe capitur. Quo nomine & gemina conclauia diſsimiliter pollent, & lectos non omnes pares magnitudine, ac figura faciunt. Quòd ſi eſſet analogia petenda in ſupellectile, omnes lectos haberemus domi ad unã formam, & aut cum fulcro, aut ſine eo, nec tùm ad tricliniarem gradum, non item ad cubicularem: neque potius delectaremur ſupellectile, diſtincta quæ eſſet ex ebore, alijsq́; rebus, diſparibusq́; figuris, quàm grabatis analogis, cùm ad ſimilem formam plerumque eadem materia fiunt. Quare aut negandum nobis diſparia eſſe iucunda, aut quoniam eſſe neceſſe eſt confiteri, dicendum uerborum diſsimilitudinem, quæ ſit in conſuetudine, non eſſe uitandam.

Quòd ſi analogia nobis ſequenda eſt, aut ea nobis obſeruanda eſt, quæ eſt in conſuetudine, aut quæ non eſt: ſi ea, quæ eſt, ſequenda eſt, præceptis nihil opus eſt: quòd cùm conſuetudinem ſequemur, ea nos ſequetur. Si, quæ non eſt in conſuetudine, ſequemur, ut quiſque duo uerba in quattuor formis finxerit ſimiliter, quamuis hæc nollemus, tamen erunt ſequenda: ut Iuppiter, Marſpiter, quas ſi quis ſeruet analogias, pro inſano ſit reprehẽdendus. non ergo eſt ea ſequenda. Quod ſi oportet, ut à ſimilibus ſimiliter omnia declinentur uerba, ſequitur, ut ab his ſimi-

libus

libus ſimilia debeant fingi, quod non fit: nam & à ſimilibus alia fiunt ſimilia, alia diſsimilia: & diſsimilibus partim ſimilia, partim diſsimilia. A ſimilibus ſimilia, ut à bono, ac malo, bonum, malum. A ſimilibus diſsimilia, ut à lupus, lepus, lupo, lepori. Contra à diſsimilibus diſsimilia, ut Priamus, Paris, Priamo, Pari. *A diſsimilibus ſimilia, ut* Iuppiter Iouis, *&* Iouis Iouis. *Eo etiam magis* ἀναλογικῶς *diſsimilia finguntur, ſed etiam ab ijſdem uocabulis diſsimilia: neque à diſsimilibus ſimilia, ſed etiam eadem ab ijſdem uocabulis. Diſsimilia fingi apparet, quòd cùm duæ ſint* Albæ, *ab una dicuntur* Albani, *ab altera* Albenſes. *Cùm trinæ fuerint* Athenæ, *ab una dicti* Athenæi, *ab altera* Athenienſes, *à tertia* Athenæopolitæ. *Sic ex diuerſis uerbis multa facta, in declinando inueniuntur eadem: ut cùm dico à luo luam, & abluo abluam. Omnia ferè noſtra liberalia & muliebria multitudinis, cum recto caſu, fiunt diſsimilia, cũ dandi caſu, diſsimilia: ut mares* Terentij, *feminæ* Terentiæ: *eadem in dandi, uiris* Terentijs, *& mulieribus* Terentijs. *Diſsimilia* Plautus, *&* Plautius: *& communia, huius* Plauti, *& huius* Plauti. *Denique ſi eſt analogia, quod in multis uerbis eſt ſimilitudo uerborum: ſequitur, quòd in pluribus eſt diſsimilitudo, ut non ſit in ſermone ſequẽda analogia. Poſtremò, ſi eſt in oratione, aut in omnibus eius partibus eſt, aut in aliqua: & in omnibus non eſt, in aliqua eſſe parum eſt: ut album eſſe* Aethiopem, *non ſatis eſt quòd habet candidos dentes: non eſt ergo analogia. Cùm à ſimilibus uerbis, quæ declinantur, ſimilia fore pollicentur, qui analogias eſſe dicũt, & cùm ſimile tùm deniq; dicentes ſe oſtendere ex uerbo uerbũ, quod ex eodẽ ſit genere, eadẽ figura tranſitum de caſu in caſum ſimiliter oſtendi poſsit. Qui hæc dicunt, utrumq; ignorãt,*

& in quo loco ſimilitudo debeat eſſe, & quẽadmodũ ſpectari ſoleat, ſimile ſit, nec'ne: quæ cùm ignorant, ſequitur, ut cùm analogiã dicere non poſſint, ſequi non debeamus. Quæro enim uerbum utrum dicant uocẽ, quæ ex ſyllabis eſt ficta, eam, quã audimus, an quod eam ſignificat, quã intellegimus, an utrumq; ? ſi uox uoci eſſe debet ſimilis, nihil refert, quod ſignificat, mas an femina ſit, & utrum nomen, an uocabulum ſit, quod illi intereſſe dicunt. Sin illud quod ſignificatur, debet eſſe ſimile, Diona & Theona, quos dicunt eſſe ipſi pene geminos, inueniũtur eſſe diſsimiles, ſi alter erit puer, alter ſenex, aut unus Gallus, alter Aethiops, item aliqua re alia diſsimile. Sin ex utraque parte debeat uerbum eſſe ſimile, non citò inuenietur, quin in alterutra re claudicet: nec Perperna, & Alphena erit ſimile: quòd alterum nomen uirum, alterum mulierem ſignificat. Quare quoniã ubi ſimilitudo eſſe debeat, nequeunt oſtendere, impudentes ſunt, qui dicunt eſſe analogias. Alterum illud, quod dixi, quemadmodum ſimile ſpectari oporteret, ignorare apparet ex eorum præcepto, quod dicunt, cùm tranſierit è nominandi caſibus in eos, quos appellant uocandi, tum deniq; poſſe dici rectos eſſe ſimiles aut diſsimiles: eſſet enim, ut ſi quis Menahemos geminos cum uideat, dicat ſe non poſſe iudicare diſsimiles'ne ſint, niſi qui ex his ſint nati, conſiderarit, num diſcrepent inter ſe: nihil inquam, quò magis, minúsue ſit ſimile, quod conferas cum altero, ad iudicandum extrinſecus oportet ſumi. Quare cùm ignorent, quẽadmodum ſimilitudo debeat ſumi, de analogia dicere non poſſunt. Hæc apertius dixiſſem, niſi breuius eo nunc mallem, quæ infrà ſunt, planius uſurpanda. Quare quod ad uniuerſam uerborũ naturam attinet, hæc attigiſſe modò ſatis eſt. Quod ad parteis ſingulas oratiõis, deinceps dicam

* Menæchmos

dicam: quarum uis,quoniam ſunt diuiſiones plures, nunc ponam potiſſimum, in quæ diuiditur. Oratio *ſecanda,ut natura in quattuor parteis: unã,quæ habet caſus: alteram, quæ habet tempora: & tertiam, quæ habet neutrum: & quartam,in qua eſt utrumq;:has uocant quidam appellandi,dicendi,adminiculandi,iungendi: appellandi dicitur, ut homo,&* Neſtor: *dicendi, ut ſcribo,& lego:iungendi, ut atq;:adminiculandi,ut doctè,& commodè* Appellandi *partes ſunt quattuor: è queis dicta à quibuſdam prouocabula, quæ ſunt,ut quis,quæ: uocabula,ut ſcutum,gladius:nomina,ut* Romulus,Remus: *pronomina,ut hic,hæc.* Duo *media dicuntur nomina:prima & extrema,articuli.*Primum *genus eſt infinitum: ſecundum,ut infinitum:tertium, ut finitum: quartũ finitum.* Hæc *ſigillatim triplicia eſſe debẽt,* 11 *quo ad ſexum,multitudinẽ,caſum:ſexum,utrum uirile, an muliebre,an neutrum ſit,ut doctus,docta,doctum:multitudinem,unũ, an plura ſignificet,ut hic,hi,hæ:caſum, utrum recto ſit,ut* Marcus,*an obliquo,ut* Marco,*an communi,ut* Iouis. *His diſcretis partibus,ſingulas proſpice,quò facilius nuſquam eſſe analogias, quas ſequi debeamus, uideas: nẽpe eſſe oportebat uocis formas ternas, ut in hoc humanus humana humanum. Sed habẽt quædã binas,ut ceruus, cerua:quædã ſingulas,ut aper,& ſic multa. Nõ ergo eſt in huiuſcemodi generibus analogia. Et in multitudine, ut unum ſignificat pater,plures patres: ſic omnia debuerunt eſſe bina. Sed & ſingularia ſolũ ſunt multa,ut cicer,ſiſer: nemo enim dicit cicera, ſiſera: & multitudinis, ut ſalinæ, nõ enim ab his ſingulari ſpecie dicitur ſalina, & balneæ: neq; ab eo,quod dicũt balneum, habet multitudinem conſuetudo:nam quod eſt,ut prædium,balneum,debuerũt eſſe plura,ut prædia,balnea,quod non eſt.* Non *eſt ergo in his*

quoque analogia. Alia caſus habent, & rectos, & obliquos, alia rectos ſolùm, alia modo obliquos: habẽt utroſq;, ut Iuno Iunonis: rectos modo, ut Iuppiter, Marſpiter: obliquos ſolùm, ut Iouis Iouem. Non ergo in his eſt analogia.

Nunc uideamus in illa quadripartita. Primùm ſi eſſet analogia, ut in his tribus articulis, ut eſt quis, quem, quoius, ſic diceretur, qua, quam, quaius: & ut eſt quis, quoi, ſic diceretur, qua, quai: nam eſt proportione ſimile: ut deæ bonæ, quæ ſit: dea bona, quæ eſt: & ut eſt quem, quis, ſic quos, ques. Quare quod nunc dicitur qui homines, dici oportuit ques. Præterea, ut eſt ab is, ei, ſic ab ea, eæ diceretur, quod nunc dicitur ei: & pronuntiaretur, ut in eis uiris, ſic eis mulieribus: & ut eſt in rectis is, ea, debuit eſſe ibus, eis: ſed id eſt in obliquis ijs. Nunc non modò in uirili, ſicut in muliebri dicitur eius: ſed etiam in neutris articulis, ut eius uiri, eius mulieris, eius pabuli, cùm diſcriminentur in rectis caſibus is, ea, id. De hoc genere parcius tetigi, quòd librarios hæc ſpinoſiora indulgẽtius laturos putaui. De nominatiuis, quæ accidunt proxime ad finitam naturam articulorum, atque appellantur uocabula, ut homo, & equus: eorum, declinationum genera ſunt quattuor: unum nominandi, ut ab equo equile: alterum caſuale, ut ab equo equum: tertium augendi, ut ab albo albius: quartum minuendi, ut à ciſta ciſtula. Primum genus, ut dixi id eſt, cum aliqua parte orationis declinata ſunt recto caſu uocabula, ut à balneis balneator. Hoc ferè triplices habet radices: quòd & à uocabulo oritur, ut à uenatore uenabulum: & à nomine, ut à Tibure Tiburs: & à uerbo, ut à currendo curſor. In nullo horũ analogiã ſeruare uidebis. Primũ cũ dicatur, ut ab oue & à ſue, ouile et ſuile, ſic à boue dicitur bubile, nõ bouile: & cũ ſimile ſit auis: & ouis, neque

dici

dicitur,ut ab aue auiarium,ab oue ouile,ab aue auile non
eſt,neque ab oue ouiariũ:& cùm debuerit eſſe,ut à cuba-
tione cubiculum,ſic à ſeßione ſediculum non eſt. Quoniã
taberna,ubi uenit uinũ,à uino uinaria, à creta cretaria,ab
unguento unguentaria dicitur,ἀναλογικῶς ſi eſſent uoca-
bula,ubi caro uenit, carnaria:ubi pelles, pellaria:ubi cal-
cei,calcearia dicerẽtur:non laniena,pelleſuina,ſutrina. Et
ſic,ut eſt ab uno uni,à tribus trini,à quatuor quatrini,ſic à
duobus duini,nõ bini dicerẽtur: nec non ut quadrigæ,tri-
gæ, ſic potius duigæ, quàm bigæ. Permulta *ſunt huiuſce*
generis,quæ,quoniã admonitus perſpicere poteſt,omitto.
Vocabula,*quæ à nominibus oriuntur,ſi à ſimilibus nomi-*
nibus ſimilia eſſe debẽt,dicemus:quoniã gemina ſunt Par-
ma, Alba, Roma, Parmẽſes, Albẽſes, Romenſes:*aut quoniã* 12
ſimilis eſt Roma, Nola, Parma,*dicemus,ut* Romani, Nola-
ni,*ſic* Parmani: *& à* Pergamo,*ab* Ilio *ſimiliter,ut* Perga-
menus,*ſic* Ilienus:*aut ut* Ilius *mas &* Ilią *femina,ſic* Per-
gamus *&* Pergama: *& quoniã ſimilia nomina ſunt* Aſia,
Libya,*dicemus ut* Aſiaticos,*ſic* Libyaticos *homines.* Quæ
uocabula ducuntur à uerbis,fiunt,ut à ſcribẽdo ſcriptor,à
legendo lector:hæc quoque,non ſeruare ſimilitudinẽ licet
uidere ex his,cùm ſimiliter dicatur,ut ab amãdo amator,
à ſalutando ſalutator,à cantando cantator:& cùm dicatur
laſſus ſum metendo,ferendo:ex his uocabula non reddunt
proportionem:quòd non ſit,ut meſſor,fertor. Multa *ſunt*
item in hac ſpecie,in quibus potius conſuetudinem ſequi-
mur,quàm rationem uerborum. Præterea, *cùm ſint ab*
eadem origine uerborum uocabula dißimilia ſuperiorũ,
quòd ſimul habeãt caſus,& tempora,quæ uocantur par-
ticipia,& multa ſint contraria, ut amor amo, ſeror ſero:
ab amo & eiuſmodi omnibus uerbis oriũtur præſens,&

futurũ,ut amans, et amaturus:et ab eis uerbis tertiũ,quod
debet fingi præteriti,in lingua Latina reperiri nõ poteſt:
13 *non ergo eſt analogia. Sic ab amor. legor, & eiuſmodi*
uerbis non eſt uocabulum eius generis præteriti tẽporis,
ſicut amatus eram,ſum,ero:neque præſentis,& futuri ab
his fit:non eſt ergo analogia:præſertim cùm tantus nume-
rus uocabulorum in eo genere interierit:quod dicimus in
his uerbis, & in ijs uerbis,quæ contraria non habent,lo-
quor,uenor:tamen dicimus loquens,uenans,locuturus,ue-
naturus,quod ſecundum analogias non eſt:quoniam dici-
mus loquor,& uenor:unde illa, quæ erant ſuperiora,mi-
nus ſeruantur.Quid?cum his,quæ contraria uerba habẽt,
alia efficiunt terna,ut ea,quæ dixi,alia bina,ut ea quæ di-
cam,currens ambulans,curſurus ambulaturus:tertia enim
præteriti non ſunt:ut curſus ſum,ambulatus ſum. Neque
in his quidẽ, quæ ſæpius quid fieri oſtendunt,ſeruant ana-
logiã:ut eſt à cantando cantitans,ab amãdo amitans nõ eſt,
& ſic multa. Vt in his ſingularibus,ſic in multitudinis:
ſicut enim cantitantes,ſeditantes non dicuntur. Quoniam
eſt uocabulorum genus, quod appellant compoſitum, &
negant conferri id oportere cum ſimplicibus, de quibus
adhuc dixi:de compoſitis ſeparatim dicam. Cùm à tibijs,
& canendo tibicen dicitur: quærunt, ſi analogias ſequi
oporteat,cur non à cithara, & pſalterio, & pandura,di-
camus citharicen,& ſic alia? Si ab æde & tuendo edituus
eſt, cur ab atrio & tuendo non atrituus ſit potius, quàm
atrienſis? Si ab auibus capiendis auceps dicatur,debuiſſe
aiunt ex piſcibus capiendis piſciceps, ut aucupem, ſic pi-
14 *ſcicupem dici: & ubi lauetur æs,ærarias,non ærelauinas*
nominari: & ubi fodiatur argentum,argentifodinas dici,
neque ubi fodiatur ferrum,ferrifodinas:qui lapides cædũt,

lapi

lapicidas: qui ligna, lignicidas nõ dici: neque ut aurificem, ſic argentificem: non doctum dici indoctum: non ſalſum non inſalſum: ſic & ab hoc quoque fonte quæ profluant, animaduertere eſt facile. Relinquitur de caſibus, in quo Ariſtarchi ſuos intendunt neruos. Primùm ſi in his eſſet analogia, dicunt debuiſſe omnes nominatiuos, & articulos habere totidem caſus: nunc alios habere unum ſolum, ut litteras ſingulas omnes: alios treis, ut prædium, prædij, prædio: alios quattuor, ut mel, mellis, melli, melle: alios quinque, ut quintus, quinti, quinto, quintum, quinte: alios ſex, ut unus unius, uni, unum, une, uno. Non eſſe ergo in caſibus analogias. Secundo quod Crates dicebat, cur quæ ſingulos habent caſus, ut litteræ Græcæ, non dicantur alpha alphatos? ſi idem mihi reſpõdebitur quod Crateti, non eſſe uocabula noſtra, ſed penitus barbara: quærã, cur ijdem noſtra nomina, & Perſarum, & ceterorum, quos uocant barbaros, cum caſibus dicant? quare, ſi eſſet analogia, aut, ut Pœnicorum & Aegyptiorum uocabula, ſingugulis caſibus dicerẽtur, aut pluribus, ut Gallorum, & ceterorum. Nam dicunt ab alaco alacus.* Et ſic aliàs id quod ſcribent, dicent, quod Pœnicum ſit, ſingulis caſibus: ideo eas litteras Græcas nominari: ſic Græci noſtra ſenis caſibus, non quinis dicere debebant: quod cùm non faciunt, non eſt analogia. Quæ ſi eſſet, negant ullum caſum duobus modis debuiſſe dici, quod fit contra. Nam ſine reprehenſione uulgo alij dicunt in ſingulari hac oui, & aui: alij hac oue, & aue: in multitudinis, hæ puppeis, reſteis, & hæ puppes, reſtes. Item, quod in patrico caſu hoc genus diſpariliter dicatur ciuitatum, parentum, ciuitatium, parentium: in accuſandi hos monteis, fonteis, hos montes, fontes. Item cùm ſi ſit analogia, debent à ſimilibus

* alauda, alaudus

uerbis

uerbis ſimiliter declinatis ſimilia fieri, & id non fieri oſtendi poßit: deſpiciendam eſſe eam rationē. Atqui *oſtenditur: nam quid poteſt ſimilius eſſe, quàm mens, dens, gēs? cùm horum caſus patricus, & accuſandi in multitudine ſint diſpariles: nam à primo fit gentium, & genteis, utrobique ut ſit* I: *à ſecundo mentiū, & mentes, ut in priore ſolo ſit* I: *à tertio dentum, & dentes, ut in neutro ſit* I. *Sic item, quoniā ſimile eſt recto caſu ſciurus, lupus, lepus, rogant, cur non dicant proportione item ſciuro, lupo, lepo? Si reſpondent ſimilia non eſſe, quòd ea uocemus diſsimiliter ſciure, lupe, lepus: ſic enim reſpōdere uoluit* Ariſtarchus Crateti. Nam *cùm ſcripſiſſet ſimilia eſſe* Philomedes, Heraclides, Melicertes, *dixit nō eſſe ſimilia: in uocando enim cum* E *breui dici* Philomede, *cū* E *longo* Heraclide, *& cum* E *breui* Melicerte: *in hoc dicunt* Ariſtarchum *non intellexiſſe, quod quæreretur, cùm ſic ſoluerit. Sic enim, ut quidq; in obliquis caſibus diſcrepauit, dicere potuit, propterea rectos caſus non eſſe ſimileis: cùm quæratur duo inter ſe ſimilia ſint, necne, non debere extrinſecus adſumi, cur ſimilia ſunt.* Item *ſi eſſet analogia, ſimiliter aues, oues, ſues dicerent, item ut ouium, auium, ſic ſuium. Si analogia eſt, inquit, cur populus dicit dij* Penates, *dij* Cōſentes? *Cùm ſit, ut hic reus, ferus, deus, ſic hi rei, feri, dei?* Item *quærunt, ſi ſit analogia, cur appellant omnes ædem deum* Conſentum, *& nō deorum* Conſentium? *Item cur dicatur mille denarium, non mille denariorum? eſt enim hoc uocabulum ea figura, ut* Vatinius, Manlius, *denarius: debet igitur dici, ut* Vatiniorum, Manliorum, *ſic denariorum: & non equum publicum mille aſſarium eſſe, ſed mille aſſariorum: ab uno enim aſſario multi aſſarij, ab eo aſſariorum.* Item *ſecundum illorum rationem*

debemus

dedetaus ſecundis ſyllabis longis dicere Hectorem, Neſto-
rem: eſt enim ut quæſtor, prætor, Neſtor, Hector: & non
debuit dici quibuſdã, ſed queiſdam: eſt enim ut eeis, heis,
queis. At ſi eſt quibuſcum, cũ nõ ibus & bibuſcũ dicatur, 16
da patri familias, dicere non debuerũt, ſi analogias ſequi
uellet: quod eſt ut Atiniæ, Scatiniæ, familiæ, ſic una Atinia,
Scatinia, familia. Item plures patresfamilias dicere nõ de-
buerunt, ſed, ut Siſenna ſcribit, patresfamiliarum. Neque
oportebat conſuetudinẽ notare, alios dicere boum greges,
alios bouerum: ut ſtruum, ſic Iouum, & Iouerũ, cum eſſet
ut Iouis, bouis, ſtruis, Iouem, bouẽ, ſtruẽ, Ioui, boui, ſtrui.
Nec cùm hæc conuenirẽt in obliquis caſibus, dubitare de-
buerunt in rectis propinquioribus: nunc in conſuetudine
aliter dicere pro Iouis, Iuppiter: pro bouis, & bus, bos:
pro ſtruis ſtrues. Deinceps dicam de altero genere uo-
cabulorum, in quo contentiones ſunt, ut album albius al-
biſſimum, in quo eam analogiã non ſeruari apparet. Nam
cùm ſit ſimile ſalſum, caldũ, & dicatur ab his ſalſius ſal-
ſiſſimũ, caldius caldiſſimũ debuit dici. Quoniã ſimile eſt bo
num, malũ, ab his bonius & malius, boniſſimũ & maliſſi-
mum: nónne dicimus bonum melius optimum? malũ peius
peſſimum? in alijs uerbis nihil deeſt, ut dulcis dulcior dul-
ciſſimus, in alijs primũ, ut peius peſſimũ, in alijs medium,
ut cæſius cæſiſſimus: in alijs bina ſunt, quæ ſint ab eadem
uoce declinata, & ea ita, ut alias deſint ſecundũ & tertiũ,
ut in hoc mane manius maniſſime: alias ut duo prima ab-
ſint, ut optum optius optimum: alias ut primũ & tertium 17
deſit, ut in hoc melũ melius meliſſimũ. Præterea ſi dicerẽt
ſimiliter declinari, cùm ſimilia eſſent macer, ſacer, tener,
& macerrimus, ſacerrimus, tenerrimus, non diſcreparent
in his macrior, & magis ſacer, & tenerior, neq; alia qua- 18
driſyllaba

driſyllaba fierent: & ſi in his dominaretur ſimilitudo, diceremus, ut candidiſſimus candidiſſima, pauperrimus pauperrima: ut candidus cãdida, pauper paupera: & dicimus doctus docta, doctiſſimus doctiſſima: ſic diceremus frugaliſſimus frugaliſſima, frugus & fruga. Ea ſi proportione eſſent uerba, ut uno uocabulo dicimus uirũ, & mulierem ſapientem, & diligentẽ, & ſapientiorem, & diligentiorẽ: ſic diceremus item, cùm perueniremus ad ſummum, quod facimus aliter: nam uirum dicimus ſapientiſſimũ, & diligentiſſimum, fœminam ſapientiſſimam, et diligentiſſimam. Quòd ad uocabulorum huius generis exempla pertinet, multa ſunt reliqua: ſed eadẽ, quæ dicta, ad iudicandũ ſatis ſunt, quòd analogias in collatione uerborũ ſequi nõ debemus. Magnitudinis uocabula cùm poſſint eſſe terna, ut
19 *ciſta ciſtula ciſtella, in alijs media non ſunt, ut in his macer macricolus macellus, niger nigricolus nigellus. Item minima in quibuſdã non ſunt, ut auis auicula auicella, caput capitulum capitellũ. In hoc genere uocabulorũ, quòd multa deſunt, dicendũ eſt non eſſe in eo, ſed potius ſequendã conſuetudinem, quàm rationem. Quod ad uocabulorũ genera quattuor pertinet, ut in hoc potius cõſuetudinẽ, quàm analogiam dominari facilè animaduerti poſſit, dictũ eſt. Sequitur de nominibus, quæ differunt à uocabulis, ideo quòd ſunt infinita, ac res cõmuneis deſignent, ut uir, mulier: cùm nomina ſint finita, ac ſignificent res proprias, ut Paris, Helena: è quibus ſunt alia nomina à nominibus, ut Ilium ab Ilo, et Ilia ab Ilio: alia à uocabulo, ut ab albo albius, & ab atro atrius: in neutris ſeruata eſt analogia. Nã & cùm ſit à Romulo Roma, proportione nõ eſt, quod debuit eſſe Perperni filia, non Perpernæ, Perperna mulieris nomen eſſe debuit, & natæ à Perperno, quod eſt, ut Arbernus,*

Perpernus, Arberna, Perperna. Quod ſi Marcus Perperna uirile eſt nomen, & analogia ſequenda: Lucius Aelia, & Quinctus Mucia uirilia nomina eſſe debebunt. Item quæ habēt ab Rhodo, Andro, Cyzico, Rhodius, Andrius, Cyzicenus, ſimiliter Cyzicius ciuis diceretur unuſquiſq;. Nam ut ab Athenis Athenæus dicitur rhetor nomine, & ſi non ſit Athenienſis, in hoc ipſo analogia non eſt: quòd alij nomina habēt ab oppidis, alij aut nō habēt, aut non, ut debent, habēt. Habent pleriq; libertini à municipio manumiſsi: in quo, ut ſocietatum & fanorum ſerui, non ſeruarunt proportionem, & rationem, & Romanorum liberti debuerunt dici: ut à Fauentia Fauentinus, à Reate Reatinus, ſic à Roma Romanus: ut nominentur libertini olim publici ſerui Romani: qui manumiſsi antè quàm ſub magiſtratus nomina qui eos liberarunt, ſuccedere cœperunt. Hinc quoque illa nomina Lenas, Vfenas, Carinas, Mecenas: quæ cùm eſſent à loco, ut Vrbinas, & tamen Vrbinus, ab his debuerunt dici ad noſtrorum nominum ſimilitudinem. *DEEST PAGINA.*

M. TERENTII VARR. DE LINGVA LATINA

Liber octauus.

*

* DESVNT QVAEDAM. *

tàm neſciunt docere, quàm diſcere, quæ ignorant, in quo 1 *ſuit Crates nobilis Grammaticus, qui fretus Chryſippo homine acutiſsimo, qui reliquit ſex libros* περὶ τῆς ἀνομαλίας, *his libris contra analogiam, atque Ariſtarchum eſt nixus: ſed ita ut ſcripta indicant eius, ut neutrius uideatur peruidiſſe uoluntatem. Quod & Chryſippus, de inæqualitate cùm ſcribit ſermones, propoſitum habet oſtendere ſimiles res diſsimilibus uerbis, & ſimilibus diſsimiles eſſe uocabulis notatas. Id quidem eſt uerum: & cùm Ariſtarchus de æqualitate conſcribit, & de uerborum ſimilitudine, quorundam inclinationes ſequi iubet, quoad patiatur conſuetudo. Sed hi, qui in loquendo partim ſequi iubēt nos conſuetudinem, partim rationem, non tam diſcrepant, quòd conſuetudo, & analogia coniunctiores ſunt inter ſe, quàm hi credunt: quòd eſt nata ex quadam conſuetudine analogia: & ex hac, conſuetudo ex diſsimilibus & ſimilibus uerbis eorū, quod declinationibus conſtat, neque anomalia, neq; analogia eſt repudiāda: niſi ſi non eſt homo ex anima, quòd eſt homo ex corpore & anima. Sed ea, quæ dicam, quò facilius peruideri poſsint, prius de trinis copulis differendum: nam confuſim ex utraque parte pleraque dicuntur, quorum alia ad aliam referri debent ſummam. Primum de copulis naturæ, & ſuis: hæc enim duo ſunt, quæ exigūt diuerſa: quod aliud eſt dicere uerborum analogias, aliud dicere, uti oportere analogijs. Secundum de*

copulis

*copulis multitudinis, ac finis:utrumq; omnium uerborum dicatur eſſe analogia,an unius,*an maioris partis. Tertiũ de copulis perſonarum, qui eis debent uti, quæ ſunt plures. Aliæ enim populi uniuerſi,aliæ ſingulorũ: & de his non eadem oratores,& poetæ, quòd eorum nõ idem ius. Itaq; populus uniuerſus debet in omnibus uerbis uti analogia: &,ſi perperã eſt conſuetus,corrigere ſe ipſe,cum orator nõ debeat in omnibus uti: quod ſine offenſione nõ poteſt facere, cùm poetæ tranſilire lineas impune poßint. Populus enim in ſua poteſtate,ſinguli in illius. Itaq; ut ſuã quiſq; cõſuetudinẽ,ſi mala eſt,corrigere debeat,ſic populus ſuam.Ego populi cõſuetudinis nõ ſum,ut dominus: at ille meæ eſt.Vt rationi obtẽperare debet gubernator, gubernatori unuſquiſq; in naui,ſic populus rationi, nos ſinguli populo. Quare ad quamcunq; ſummam in dicendo referã,ſi animaduertes, intelliges,utrum dicatur analogia eſſe,an,uti oporteret,redigere,dici id in populũ aliter, ac inde omnibus dici in eum, qui ſit in populo. Nunc iam primum dicã pro uniuerſa analogia, cur nõ modo uideatur eſſe nõ reprehendenda, ſed etiam cur in uſu quodammodo ſequẽda. Secundo de ſingulis criminibus,quibus rebus poßint, quæ dicta ſunt contra, ſolui: dicam ita,ut generatim comprehendam, & ea, quæ in priori libro ſunt dicta, & ea, quæ poſſunt dici, atque illic præterij.*

* an nullius

2

PRIMVM *quod aiunt,qui bene loqui uelit,conſuetudinem nõ rationem ſimilitudinum ſequi oportere:quòd alterum ſi neglegat, ſine offenſione facere non poßit: alterum ſi ſequatur, quod ſine reprehenſione non ſit futurum,errant:quòd qui in loquẽdo conſuetudinẽ,qua oportet uti, ſequitur, non ſine ea ratione. Nam uocabula, ac uerba, quæ declinamus, ſimiliter ea in conſuetudine eſſe*

uidemus, & ad eam referimus: & ſi quid eſt erratum, nō ſine ea corrigimus. Nam ut qui triclinium conſtrarunt, ſi quem lectum de tribus unum imparem poſuerunt, aut de paribus nimium, aut parum produxerũt, unà corrigimus, & ad cōſuetudinem communẽ, & ad aliorum tricliniorum analogias. Sic ſi quis in oratione in pronuntiando ita declinat uerba, ut dicat diſparia, quod peccat, redigere debemus ad ceterorum ſimilium uerborũ rationem. Cum duo peccati genera ſint declinationum: unum, quod in conſuetudinem perperam receptũ eſt, alterum, quod nondum eſt, & perperã dicatur: unum dant nō oportere dici, quod ſit in conſuetudine: alterum nō conceditur, quin ita dicatur: ut ſit ſimile cum id faciat ac ſi quis puerorum per delicias pedes male poneret, atque imitari uacias cœperit, hos corrigi oportere, ſi concedant: contra ſi quis in conſuetudine ambulandi iam factus ſit uacia, aut compernis, ſi eum corrigi non concedant non ſequitur, ut ſtulte faciant, qui pueris in geniculis alligẽt ſerperaſtra, ut eorũ deprauata corrigant crura: cum culpandus non ſit medicus, qui è longinqua mala conſuetudine ægrum in meliorem traducit. Quare reprehendẽdus ſit, qui orationem minus ualentem propter malam conſuetudinem traducit in meliorem? Pictores Apelles, Protogenes, ſic alij artifices egregij non reprehendẽdi, quòd conſuetudinem Myconis, Dioris, Arimnæ, & aliorum ſuperiorum non ſunt ſecuti? Ariſtophanes improbandus, qui potius in quibuſdam ueritatem, quàm conſuetudinem ſecutus? Quid ſi uiri ſapientiſſimi, & in re militari, & in alijs reb. multis cōtra ueterẽ conſuetudinem cum eſſent uſi, laudati, deſpiciẽdi ſunt, qui potiorem dicunt oportere eſſe conſuetudinem ratione? An cum quis perperam conſueuerit quid facere in ciuitate,

non

non modo non patiemur, ſed etiam pœna adficiemus? Item ſi quis perperam conſueuerit dicere uerbum, non corrigemus, cum id fiat ſine pœna? Et hi qui pueros in ludum mittunt, ut diſcant, quæ neſciunt uerba, quemadmodum ſcribent? Itidem barbaros, qui ignorabunt uerba, quemadmodum oportuit dici, non docebimus, ut ſciant, qua ratione cōueniat dici? Sed ut nutrix pueros à lacte nō ſubitò euellit a conſuetudine, cum à cibo priſtino in meliorē traducit, ſic in maioribus loquendo à minus commodis uerbis ad ea, quæ ſunt cum ratione, modicè traducere oportet: cum ſint in conſuetudine contra rationem alia uerba, ita ut ea facile tolli poßint, alia ut uideantur eſſe fixa, quæ leuiter hærent, ac ſine offenſione cōmutari poßint. Sic enim ad rationem corrigi oportet, quæ non ad rationem ſunt, ita ut in præſentia corrigere nequeas: quin ita dicas, his oportet, ſi poßis, non uti: ſic enim obſoleſcent, ac poſtea iam oblitterata facilius corrigi poterūt. Quas nouas uerbi declinationes ratione introductas reſpuet forum, eis boni poëtæ maxime ſcænici, conſuetudine ſubigere aureis populi debent: quòd poëtæ multum poßint in hoc, propter eos quædam uerba in declinatione melius, quædam deterius dicuntur. Conſuetudo loquendi eſt in motu. Itaq; ſolet fieri ex meliore deterior. Meliora uerba perperàm dicta apud antiquos aliquos, propter poëtas nō modò nunc dicuntur rectè, ſed etiam, quæ ratione dicta ſunt tùm, nunc perperàm dicũtur. Quare, qui ad conſuetudinem nos uocant, ſi ad rectam, ſequamur: in eo enim quoque eſt analogia, ſi ad eam inuitent, quæ eſt deprauata, nihilo magis ſequemur: niſi ſi, cum erit neceſſe, ſequar in ceteris rebus mala exempla: nam ea quoque, cum aliqua uis urguet, inuiti ſequimur. Neque enim Lyſippus artificum priorum

potius eſt uitioſa ſecutus, quàm artem: ſic populus facere debet, & ſinguli, ſine offenſione quod fiat populi, qui amuſſa non modo quærant, ſed etiam quod indicium dent. Iidem ex ſermone ſi quid deperijt, nō modo nihil impendunt, ut requirant, ſed etiam contra indices repugnant. At ne reſtituatur uerbū nouum, & ratione introductū, quò minus recipiamus, uitare non debemus. Nam ad uſum in ueſtimentis, ædificijs, ſupellectili, nouitati non impedit uetus conſuetudo. Quem enim amor adſuetudinis potius in pannis poſſeſſorem retinet, quàm ad noua ueſtimenta traducit? An non ſæpe ueteres leges abrogatæ nouis cedunt? Nonne inuſitatis formis uaſorū recētibus à Græcia adlatis, oblitteratæ antiquæ conſuetudinis ſinorum, & capidarum ſpecies? His formis uocabulorum cōtaminati uti nollent, quæ docuerit ratio præter conſuetudinem ueterem? Et tantū inter duos ſenſus intereſſe uolunt, ut oculis ſemper aliquas figuras ſupellectilis nouas conquirant, contra aureis expertes uelint eſſe? Quotus quiſque iam ſeruos habet priſcis nominibus? Quæ mulier ſuum inſtrumentum, atque uaſa auri, ueteribus uocabulis appellat? Inductis non tàm iraſcendum, quàm huiuſce prauitatis patronis. Si enim uſquequaque nō eſſet analogia, tùm ſequebatur, ut in uerbis quoque non eſſet, non cum eſſet uſquequaque, ut eſt, nō eſſe in uerbis. Quæ enim eſt pars mundi, quæ non innumerabiles habeat analogias? Cælū, an mare, an terra, an aër, & cetera, quæ ſunt in his? nōne in cælo, ut ab æquinoctiali circulo ad ſolſtitialem, & hinc ad ſeptētrionalē diuiſum, ſic cōtra paribus partibus itē à bruma uerſum cōtraria parte? Non quantū polo ſuperiori abeſt inferior ab eo, quem ἀνταρκτικὸν uocant aſtrologi, & is ad brumalem? Non quemadmodum quodque ſignum exortum*

* Indoctis

exortum hoc anno, quotannis eodẽ modo exoritur? Num aliter ſola bruma uenit ad æquinoctium? an contra, cum ad ſolſtitium, uenit ad æquinoctialem circulum, & inde ad brumam? Nonne luna, ut à ſole diſcedit ad aquilonem, & inde redit in eandem uiam, ſic inde fertur ad auſtrum, & regreditur inde? Sed quid plura de aſtris, ubi difficilius reperitur, quid ſit, aut fiat in motibus diſsimiliter? At in mari, credo, motus nõ habent diſsimilitudines geminas, qui in uiginti quattuor horis lunaribus cottidie quater ſe mutant? At cum ſex horis æſtus creuerũt, totidem decreuerunt rurſum identidem alijs, an hanc analogiã ad diem ſeruant, ad menſem nõ item alios motus? Sic item cum habeant alios inter ſe conuenie͂tes, de quibus in libro, quem de æſtuarijs feci, ſcripſi. Non in terra in ſationibus ſeruata analogia? Nec cuiuſmodi in præterito tempore fructuum genera reddidit, ſimilia in præſenti reddit: & cuiuſmodi à tritico iacto reddit ſegetes, ſic ordeo ſato proportione reddit pariles? Nõne ut Europa habet flumina, lacus, monteis, campos, ſic habet Aſia? Non in uolucribus generatim ſeruatur analogia? Non ex aquilis aquilæ, atq; ex turdis, qui procreãtur, turdi: ſic ex reliquis ſui cuiuſq; generis? An aliter hoc fit quàm in aëre, in aqua? non hic conchæ inter ſe generatim innumerabili numero ſimiles? non piſces? an è muræna fit lupus, aut merula? Non bos ad bouem conlatus ſimilis? & qui ex his progenerantur inter ſe uituli? etiam ubi diſsimilis fetus, ut ex equa & aſino mulus, tamen ibi analogia: quod ex quocumq; aſino & equa naſcitur item mulus, aut mula, ut ex equo, & aſina hinnuli. Non ſic ex uiro & muliere omnis ſimilis partus? Quid pueri, & puellæ? nõ horũ ita inter ſe, nõ omnia ſimilia membra, ut ſeparatim in ſuo utroq; genere ſimili-

tudines ſint pariles? Non homines omnes cum ſint ex anima & corpore, partes quoque horum proportione ſimiles? Quid ergo cum omnes animæ hominum ſint diuiſæ in octonas parteis, inter ſe nõ proportione ſimiles quinque, quibus ſentimus: ſexta, qua cogitamus: ſeptima, qua progeneramus: octaua, qua uoces mittimus? Igitur, quoniã, qua loquimur uoce orationem, hãc quoque neceſſe eſt natura habere analogias, itaque habet, an nõ? Vides, ut Græci habeant eam quadripartitam? * unam, in qua ſit caſus: alteram, in qua tempora: tertiam, in qua neutrum: quartam, in qua utrumq;: ſic nos habere? Et quid, uerba neſcis, ut apud illos ſint alia finita, alia non, ſic utraque eſſe apud nos? Equidem non dubito quin animaduerterint idem in eam innumerabilem ſimilitudinem numerum, ut trium temporum uerba, ut trium perſonarum: quis enim poteſt non animaduertiſſe in omni ratione eſſe ut legebam lego legam, ſic lego legis legit: cum hæc eadem dicantur alias ut ſingula, alias ut plura ſignificent? Quis eſt enim tàm tardus, qui illas quoque non animaduertit ſimilitudines, quibus utimur imperando, quibus in optando, quibus in interrogãdo, quibus in infectis rebus, quibus in perfectis, ſic in alijs diſcriminibus? Quare qui negat eſſe rationem analogiæ, non uidet naturã non ſolum orationis, ſed etiam mundi: qui autem uidẽt, & ſequi negãt oportere, pugnãt contra naturam, nõ contra analogiã: & pugnant uolſellis, non gladio, cum pauca excepta uerba ex pelago ſermonis puri, minus trita efferant, cum dicant propterea analogias non eſſe: ſimiliter ut ſi quis uiderit mutilum bouem, aut luſcum hominem, claudicantem equum, neget in cornibus boum, hominum, & equorum naturam ſimilitudinis proportione conſtare. Qui autem cum duo genera eſſe di-

* quadriplicatam

cunt analogiæ: unum naturale, quod ut ex lentibus ſatis naſcuntur lentes, ſic ex lupinis lupinum: alterum uoluntarium, ut in fabrica, cum uident ſcænã, ut dexteriore parte ſint oſtia, ſic eſſe in ſiniſteriore ſimuli ratione facta: de his duobus generib. naturalẽ eſſe analogiã: ut ſit in motibus cæli: uolũtariam uero eſſe, quòd ut cuiq; fabro libitum ſit, poßit facere partẽ ſcænæ: ſic in hominũ partibus eſſe analogias, quòd eas natura fecit: in uerbis nõ eſſe, quòd & homines ad ſuam quiſque uoluntatem fingunt. Itaq; *de eiſdem rebus alia uerba habere Græcos, alia Syros, alia Latinos. Ego declinatus uerborum & uoluntarios, & naturales eſſe puto Volũtarios, quibus homines uocabula impoſuerint reb. quædã, ut à* Romulo Roma, *à* Tibure Tibur*tes.* Naturales, *ut ab impoſitis uocabulis, quæ inclinantur in tempora, aut in caſus: ut ab* Romulus Romuli Romulum, *& à dico dicebam dixeram.* Itaq; *in uoluntarijs declinationibus inconſtantia eſt, in naturalibus conſtantia: quas utraſq;, quoniam id non debeant negare eſſe in oratione, quod in mũdi partibus omnibus ſit, & declinationes uerborum innumerabiles, dicendum eſt eſſe in ijs analogiam.* Neque *ideo ſtatim ea in omnibus uerbis eſt ſequenda.* Nam *ſiqua perperam declinauit uerba conſuetudo, ut ea aliter efferri non poßint ſine offenſione multorum, hinc orationẽ uerborũ non prætermittendam oſtendit loquendi ratio.* Quod *ad uniuerſalem pertinet cauſſam, cur ſimilitudo & ſit in oratione, & debeat obſeruari, & quam ad finem quoque, ſatis dictũ.* Quare *quod ſequitur, de partibus ſingulis deinceps expediemus, ac ſingula crimina, quæ dicũt in analogias, ſoluemus.* In *quo animaduerto, natura quadruplicem eſſe formam. ad quam in declinando accommodari debeant uerba: quod debeat ſub*

eſſe res,quæ deſignetur, & ut ſit ea res in uſu,& ut uocis natura ea ſit,quæ ſignificauit,ut declinari poßit,& ſimilitudo figuræ uerbi,ut ſit ea, quæ ex ſe declinata genus prodere certũ poßit. Quo neq; à terra terrus ut diceretur,poſtulandum eſt,quòd natura non ſubeſt:ut in hoc alterum maris,alterum fœminæ debeat eſſe. Sic neque propter uſum,ut Terentius ſignificat unum,plures Terentij, poſtulandum eſt,ut ſic dicamus faba & fabæ: non enim in ſimilibus utrumq;,neque ut dicimus Terẽtius Terentium, ſic poſtulandum, ut inclinemus A & B, quòd non omnis uox natura habet declinatus. neque enim forma conlata quærendum ſolùm,quid habeat in figura ſimile, ſed etiam nonnunquam in eo,quem habeat effectum. Sic enim lana Gallicana, & Appula uidetur imperito ſimilis propter ſpeciẽ,cũ peritus Appulã emat pluris,quòd in uſu firmior ſit. Hæc nunc ſtrictim dicta, apertiora fient infrà.incipiã hinc. Quod rogant ex qua parte oporteat ſimile eſſe uerbum,ab uoce,an à ſignificatione? reſpondeamus à uoce. Sed tamen nonnunquam quærimus, genere ſimilia'ne ſint,quæ ſignificantur,ac nomen uirile cum uirili conferimus,fœminæ cum muliebri: non quod id,quod ſignificant uoces,commoueat, ſed quod nonnunquam in re dißimilis figuræ, formas uocum indißimiles ponunt diſpariles: ut calcei muliebres ſint, an uiriles, dicimus ad ſimilitudinem figuræ,cum tamen ſciamus nonnunquam & mulierem habere calceos uiriles,& uirum muliebreis. Sic dici uirum Perpernam, & M. Læcam muliebri forma. Et contra, parietem,ut abietem,eſſe forma ſimilem,cum alterum uocabulum dicatur uirile,alterũ muliebre,& utrũq; natura neutrũ.Sic itaque ea uirilia dicimus, nõ quæ uirum ſignificant,ſed quibus proponimus hic & hi.Et ſic muliebria,

in

in quibus dicere poſſumus hæc, & hæ. Quare nihil eſt, quod dicunt Theona, & Diona nõ eſſe ſimiles, ſi alter eſt Aethiops, alter Gallus: ſi analogia rerum diſsimilitudines adſumat ad diſcernendum uocis uerbi figuras.

8 *Quod dicunt ſimile ſit, nec'ne, nomẽ nomini, imprudenter Ariſtarchum præcipere, oportere ſpectare non ſolum ex recto, ſed etiam ex eorum uocandi caſu: eſſet enim ridiculum, ſi ſimiles inter ſe parentes ſint, de filijs iudicare. Qui errant, quòd non ab obliquis caſibus fit, ut recti ſimili facie oſtendantur: ſed propter eos facilius proſpici ſimilitudo poteſt eorũ, quam uim habeat: ut lucerna in tenebris adlata nõ facit, quæ ibi ſunt poſita, ſimilia ſint, ſed ut uideantur, quæ ſint, quæ'ue deſint. Quid ſimilius uidetur, quàm in his eſt extrema littera crux, frux? quas qui audit uoces, auribus diſcernere poteſt nemo: cum eaſdem nõ eſſe ſimiles ex alijs uerbis intelligamus: quòd cum ſint cruces, & fruges, & de his extremis ſyllabis exemptum ſit C ex altero ſic, ut ex C & S crux, ex G & S frux: quod item apparet, cum eſt demptum S: nam fit unum cruci, alterum frugi. Quod aiunt, cum in maiore parte orationis non ſit ſimilitudo, non eſſe analogiam: dupliciter ſtultè dicunt, quod & in maiore parte eſt, & in minore parte eſt: & ſi in minore non ſit, tamen ſit in maiore. Niſi etiam nos calceos negabũt habere, quòd in maiore parte corporis calceos non habeamus? Quod dicunt nos ſequi diſsimilitudinem: itaque in ueſtitu, in ſupellectile delectari uarietate: nõ paribus ſubuculis uxoris: reſpondeo, ſi uarietas eſt iucunda, magis uarium eſſe, in quo alia ſunt ſimilia, alia non ſunt. Itaq; ſic, ut abacum argento ornari uidemus, ut alia paria ſint, alia diſparia, ſic in oratione. Rogant, ſi ſimilitudo ſit ſequenda, cur malimus habere lectos alios ex*

ebore, alios ex teſtudine, ſic item genere aliquo alio: ad 9 quæ dico, nos diſsimilitudines quoque ſequi. Sæpe itaq; ex eadem ſupellectili licet uidere: nā nemo facit triclinij lectos, niſi pareis & materia, & altitudine, & figura. Quis facit mappas triclinarias non ſimileis inter ſe? quis puluinos? quis deniq; cetera quæ unius generis ſint plura? Cum inquiunt utilitatis cauſſa introducta ſit oratio, ſequendum, non quæ habebit ſimilitudinem, ſed quæ utilitatem. Ego quidem utilitatis cauſſa orationem factam eſſe cōcedo, ſed ut ueſtimenta: quare ut hic ſimilitudines ſequentur: ut uirilis tunica ſit uirili ſimilis, itē toga togæ: ſic mulierū ſtola ſtolæ proportione, & palliū pallio ſimile. Sic cum ſint nomina utilitatis cauſſa, tamen uirilia inter ſe ſimilia: item muliebria inter ſe ſequi debemus. Quod aiunt, ut perſedit, & perſtitit, ſic percubuit, et percupiuit, quoniā non ſit, non eſſe analogiam, & in hoc errant: quòd duo poſteriora ex prioribus declinata non ſunt: cum analogia polliceatur ex duobus ſimilib. ſimiliter declinatis, ſimilia fore. Qui dicunt, quòd ſit à Romulo Roma, & non Romula, neque ut ab oue ouilia, ſic à boue bouilia eſſe analogias, errant: quòd nemo pollicetur è uocabulo uocabulū declinari recto caſu ſingulari in rectū ſingularem, ſed ex duobus uocabulis ſimilibus caſus ſimiliter declinatos ſimiles fieri. Quod dicunt, quòd uocabula literarum Latinarum non declinētur in caſus, non eſſe analogias, hi, ea quæ natura declinari non poſſunt, eorū declinatus requirunt: proinde ut non ea dicatur eſſe analogia, quæ à ſimilibus uerbis ſimiliter declinatis ſimilia declinat. Quare nō ſolū in uocabulis litterarū non hæc requirenda analogia, ſed ne in ſyllaba quidē ulla: quod dicimus hoc ab, huius ab: ſic alia. Quod ſi quis in hoc quoq; uelit dicere eſſe analogias

rerum,

rerum, tenere poteſt: ut enim dicunt ipſi alia nomina, quòd quinque habent figuras, habere quinque caſus, alia quattuor, ſic minus alia, dicere poterunt eſſe litteras ac ſyllabas in uoce, quæ ſingulos habent caſus. In *rebus plurimis, quemadmodum inter ſe cōferrēt ea, quæ quaternos habebunt uocabulis caſus, item ea inter ſe quaternos: ſic, quæ ſingulos habebunt, conferāt inter ſe dicentes, ut ſit hoc* A, *huius* A, *eſſe hoc* E, *huius* E, *huic* E. Q*uod dicunt, eſſe quædam uerba, quæ habeant declinatus, ut caput, quorum par reperiri quòd non poßit, non eſſe analogias: reſpondendum ſine dubio, ſi quod eſt ſingulare uerbum, id non habere analogias.* Minimum *duo eſſe uerba debēt, in quibus ſit ſimilitudo: quare in hoc tollunt eſſe analogias? ſed initio uocabulū recto caſu apparet in hoc:* Q*uod dedit ira caput, nec diſpendi facit hilum: quod ualet, neque diſpendij facit quidquam.* Idem *hoc obliquo apud* Plautum: Vi*deo te nihili pendere præ* Philolachete *omnes homines: quod ex ne & hili: quare dictus eſt nihili, qui nō hili: habet caſus tūm, cùm commutatur, de quo dicitur.* De *homine: dicimus enim hic homo nihil eſt, & huius hominis nihili, & hunc hominem nihili, ſi in illo commutaremus, diceremus, ut hoc linum, & limum, ſic nihilum, non hic nihil, & huic lino & limo, ſic nihilo, non huic nihili.* Po*teſt dici patricus caſus, ut ei præponuntur pronomina plura, ut hic caſus* Terentij, *hunc caſum* Terentij, *hic miles legionis, huius militis legionis, hunc militem legionis.* Ne*gant, cùm omnis natura ſit aut mas, aut femina, aut neutrum, debuiſſe ex ſingulis uocibus ternas figuras uocabulorum fieri, ut albus alba album: nunc fieri in multis rebus binas, ut* Metellus Metella: *nonnulla ſingula, ut tragœdia, comœdia, ſic eſſe* Marcum, Numerium: *at* Marcam, *&*

Numer

Numeriam non:dici coruum,turdũ,non dici coruam,turdam:contra,dici pantheram,merulam, non dici pantherũ, merulum:nullius noſtrum filiũ,& filiam non aptè diſcerni marem ac feminam,ut Terentium *&* Terentiam *: contra, deorum liberos, & ſeruorum non itidem,ut* Iouis *filium,& filiam, non* Iouem *&* Iouam *: item magnum numerum uocabulorum in hoc genere non ſeruare analogias.* Ad *hæc dicimus,omnis orationis, quamuis res natura ſubſit,tamẽ ſi ea in uſum nõ peruenerit,eò non peruenire uerba:ideo equus dicitur & equa,in uſu enim horum diſcrimina:coruus & corua non:quòd ſine uſu id,quod diſſimilis naturæ.* Itaque *quædam aliter olim, & nunc : tum omnes mares, & feminæ dicebantur columbæ, quòd non erant in eo uſu domeſtico,quo nunc : contra,propter domeſticos uſus,quod internouimus,appellatur mas columbus,femina columba.* Nam *cum in tria genera tranſit, & idem eſt in uſu diſcriminare, totumq; deniq; apparet, ut eſt in doctus docta doctum. Doctrina enim per hæc tria tranſire poteſt, & uſus docuit diſcriminare doctas res ab hominibus, & in his marem ac feminã in mare, & femina, & neutro.*Neque *natura mas tranſit,neq; femina,neq; neutra : & ideo non dicitur feminus femina feminum, ſic reliqua.*Itaque *ſingularibus et ſecretis uocabulis appellati ſunt.*Quare *in quibus rebus non ſubeſt ſimilis natura,aut uſus, in his uocabulis huiuſcemodi ratio quæri non debet.* Ergo *dicitur,ut ſurdus uir, ſurda mulier, ſic ſurdũ theatrum,*
22 *quòd omnes tres ad auditum ſunt comparatæ.* Contra *nemo dicit cubiculum ſurdum ad ſilentium,non ad auditum:at ſi feneſtram non habet,dicitur cæcum, ut cæcus, & cæca,quòd omnia habent lumen,habere debẽt mas,ac femina.* Habent *inter ſe natura quandam ſocietatem neutra*

tra cum his, quòd ſunt diuerſa non inter ſe: quódque de his perpauca ſunt, quæ habeāt quandam communitatem: Dei, & ſerui nomina, quod non item, ut libera noſtra tranſeunt, eadem ex cauſſa, quod ad uſum attinet, inſtitui opus fuit de liberis, de reliquis nihil attinuit: quod in ſeruis gentilicia natura non ſubeſt in uſu. In noſtris nominibus, qui ſumus in Latio, & liberi, neceſſaria. Itaque ibi apparet analogia: ac dicitur Terentius uir, Terentia femina, Terentium genus. In prænominibus ideò non fit item, quòd hæc inſtituta ad uſum ſingularia, quibus diſcernerentur nomina gentilicia, ut à numero Prima, Secunda, Tertia, Quarta. in uiris, ut Quinctus, Sextus, Decimus. Sic ab alijs rebus, cum eſſent duo Terẽtij, aut plures, diſcernendi cauſſa, ut aliquid ſingulare haberent, notabant: forſitan ab eo, qui mane natus diceretur, ut is Manius eſſet, qui luci, Lucius, qui poſt patris mortem, Poſtumus. E quibus, quæ, cum item accidiſſet feminis, proportione appellatæ declarant prænomina mulierum antiqua, Mania, Lucia, Poſtuma. Videmus enim Maniam matrem larum, & Luciam Volumniam, Saliorum carminibus appellari. Poſtumam à multis poſt patris mortem etiam nunc appellari. Quare quocunq; progreſſa eſt natura, cum uſu uocabuli ſimilis, proportione propagata eſt analogia. Cum in quibus declinationibus uoluntarijs maris, & feminæ, & neutri, quæ uoluntaria ſunt, non debent ſimiliter declinari: ſed in quibus naturales ſint declinatus, hi, qui eſſe reperiuntur. Quocirca in tribus generibus nominũ iniquè tollunt analogias. Qui autem eas reprehendunt, quòd alia uocabula ſingularia ſunt ſolum, ut cicer: alia multitudinis ſolum, ut ſcalæ, cum debuerint eſſe omnia duplicia, ut equus equi, analogiæ fundamentum eſſe obliuiſcuntur naturam.

Nam

Nam & uſu ſingulare eſt, quod natura unum ſignificat, ut equus, aut quòd coniũcta quodammodo ad unum uſum, ut bigæ: itaque dicimus una muſa, ſic dicimus unæ bigæ. Multitudinis uocabula ſunt unum infinitum, ut muſæ: alterum finitum, ut duo, tres, quatuor: dicimus enim, ut hæ muſæ, ſic unæ bigæ, & binæ, & trinæ bigæ, ſic deinceps. Quare tam uni, & unæ, & una quodammodo ſingularia ſunt, quàm unus, & una, & unum: hoc modò mutat, quòd altera in ſingularibus, altera in coniũctis rebus, & ut duo, tria ſunt multitudinis, ſic bina, trina. Eſt tertium quoque genus ſingulare, ut in multitudine, uter: in quo multitudinis, ut uter utri, uter poëta ſingularis, utri poëtæ multitudinis eſt. Qua explicata natura, apparet non debere omnia uocabula multitudinis habere par ſingulare. Omnes enim numeri à duobus ſurſum uerſus multitudinis ſunt, neque eorum quiſquam habere poteſt ſingulare compar. Iniuria igitur poſtulant, ſiqua ſint ſingularia: oportere habere multitudines. Item qui reprehendunt, quòd non dicatur, ut unguentum unguenta, uinum uina, ſic acetum aceta, garũ gara? faciunt imperitè: qui ibi deſiderant multitudinis uocabulum, quæ ſub menſuram, ac pondera potius, quàm ſub numerum ſuccedant. Nam in plumbo, oleo, argento, cum incrementum acceſſit, dicimus, multum oleum, multum plumbum, argẽtum: non multa olea, plumba, argenta: cum quæ ex hiſce fiant, dicamus plumbea, & argentea: aliud enim cum ex argẽto: nam id tũm, cùm iam uas argenteum, aut pocillum, aut quid item, quòd pocilla argentea multa, non quòd argentum multum. Ea natura, in quibus eſt menſura, non numerus, ſi genera in ſe habẽt plura, & in uſum uenerũt, & genere multo, ſic uina, unguenta dicta: alius enim generis uinum, quod Chio, alius

quod

quod Leſbo. Sic ex regionibus, quæ ipſa dicuntur, nunc meiius unguenta, cui nunc genera aliquot. Si item diſcrimina magna eſſent olei, & aceti, & ſic cæterarum rerum huiuſcemodi in uſu cõmuni, dicerentur ſic olea, ut uina. Quare in utraque deniq; re ſcindere conantur analogiã: & cum in diſsimili uſu ſimilia uocabula quærunt, & cum item ea, quæ metimur, atque ea quæ numeramus, dici putant oportere. Item reprehendunt analogias, quod dicantur multitudinis nomine publicæ balineæ, nõ balnea: contra quod priuati dicunt unum balneum, quod plura balnea dicant. Quibus reſponderi poteſt, non eſſe reprehendendum, quod ſcalæ, & aquæ calidæ, pleraq;, quæ cum multitudinis uocabulis ſint appellata: neque eorum ſingularia in uſum uenerint. Idemq;, item contra primum balneum nouum, & Græcum introijt in urbem, publicè ibi conſedit, ubi bina eſſent coniuncta ædificia lauandi cauſſa, unum ubi uiri, alterum ubi mulieres lauarentur, ab eadem ratione domi ſuæ quiſque ubi lauatur, balineum dixerit: & quod non erant duo balinea, dicere non conſueuerunt, cum hoc antiqui non balineum, ſed lauatrinam appellare conſueuiſſent. Sic aquæ calidæ à loco, & quæ ubi ſcaterent, cum ut colerentur, & ueniſſent in uſum noſtris, cùm aliæ ad alium morbũ idoneæ eſſent. Hæ cum plures eſſent, ut Puteolis, & in Tuſcis, quibus utebantur, multitudinis potius, quàm ſingulari uocabulo appellarũt. Sic ſcalis, quòd à ſcandendo dicantur, & ſingulos gradus ſcanderent. Magis erat quærendum, ſi appellaſſent ſingulari uocabulo ſcalam, cum origo nominatus oſtenderet contra. Item reprehendunt de caſibus, quod quidam nominatus habent rectos, quidam obliquos: quod dicunt utroſq; in uocibus oportere: quibus idem reſponderi poteſt,

teſt, in quibus uſus, & natura non ſubſit, ibi non eſſe analogiã, ſed ne in his uocabulis, quæ declinantur, ſi tranſeũt è recto caſu in rectũ caſum. Quæ tamen ferè non diſcedũt à ratione ſine iuſta cauſſa, ut, hi qui gladiatores dicũt Fauſtinios: nam quòd pleriq; dicuntur, ut treis extremas ſyllabas habeant eaſdem Caſceliani, Aquiliani, Cæciliani, animaduertent, unde oriuntur nomina diſsimilia, Caſcelius, Cæcilius, Aquilius, Fauſtius: rectè dicerent Fauſtianos potius, quàm Fauſtinios: ſic à Scipione quidam male dicũt Scipionios, nam cõtra eſt Scipionarios. Sed, ut dixi, quòd ab huiuſcemodi cognominibus raró declinãtur cognomina, neque in uſum etiam perducta notant quædam. Item dicũt, cum ſit ſimile ſtultus, luſcus, & dicatur ſtultus ſtultior ſtultiſsimus, non dici luſcus luſcior luſciſsimus: ſic in hoc genere multa. Ad quæ dico id eò fieri, quòd natura nemo luſco magis ſit luſcus, cum ſtultior fieri uideatur.

Quod rogant, cur non dicamus mane manius maniſsi-
14 *mè: item de ueſpertino tempore, ueſpere magis & minus eſſe non poteſt, ante & poſt poteſt: itaque prius eſt hora prima, quàm ſecunda, nõ magis hora: ſed magis mane ſurgere tam dicitur, qui primo mane ſurgit, quàm qui non prior. Vt enim dies non poteſt eſſe magis, quàm mane, itaque ipſum hoc, quod dicitur magis, ſibi non conſtat: quod magis mane ſignificat primum mane, magis ueſpere nouiſsimum ueſper. Item ab huiuſcemodi ſimilitudinibus analogia, quod cum ſit anus, cadus ſimile, & ſit ab anu anicula anicella, à cado duo reliqua, quòd non ſint propagata: ſic non dicatur à piſcina piſcinula piſcinella: ad huiuſcemodi uocabula analogias eſſe, ut dixi, ubi magnitudo animaduertenda ſit in unoquoque gradu, & quæ ſit in uſu communi, ut eſt ciſta ciſtula ciſtella, & canis catulus catellus,*

catellus,quod in pecoris in uſu nõ eſt. Itaq; cõſuetudo frequẽtius res in binas diuidit parteis,ut maius & minus, ut lectus,& lectulus,arca & arcula.ſic alia. Quod dicũt, caſus alia nõ habere rectos,alia obliquos, & ideò nõ eſſe analogias,falſum eſt.Negãt habere rectos,ut in hoc frugis frugẽ,item roris rorem : obliquos non habere, ut in hoc Dieſpiter, Marſpiter:ad hoc reſpondeo,& priora habere nominandi,& poſteriora obliquos. Nam & frugi rectus eſt natura frux:ac ſi ſecundum conſuetudinẽ dicimus, ut hæc auis,hæc ouis,ſic hæc frugis. Sic ſecũdum naturam nominandi eſt caſus roris, ſecundum conſuetudinem ros, cum utrunq; cõueniat ad analogiam, quòd & id,quod in conſuetudine non eſt, cuiuſmodi debeat eſſe, apparet, & quod eſt in conſuetudine nunc in recto caſu, eadem eſt analogia ad pleraq;,quæ ex multitudine cùm tranſeunt in ſingulare,difficulter efferuntur ore. Sic cum tranſiretur ex eo, quod dicebatur hæ oues, una nõ eſt dicta oues,ſed additum I, ac factum ambiguum uerbum nominandi an patrici ſit caſus, ut ouis, & auis. Sic in obliquis caſibus cur negent eſſe Marſpitris, Dieſpitris,nõ uideo,niſi quòd minus eſt tritum in conſuetudine, quàm Dieſpiter, quod in nihil argumentum eſt:nam tàm caſus, qui nò tritus eſt, quàm qui eſt.Sed in caſuum ſerie alia uocabula non habẽt nominãdi,alia de obliquis aliquem. Nihil enim uideo quò minus ratio percellere poterat hoc crimẽ. Nam ut ſigna, quæ non habent caput,aut aliquam aliam partem,nihilominus in reliquis membris eorum eſſe poſſunt analogiæ, ſic in uocabulis caſuum. Poteſt item fieri,ac reponi, quod aberit,ubi patietur natura,& conſuetudo,quod nonnunquam apud poëtas inuenimus factum:ut in hoc apud Næuium in Claſtidio : Vita inſepulta lætus in patriã reduxit.

Item reprehendunt, quòd dicatur hæc ſtrues, hic Hercules, hic homo: debuiſſent enim dici, ſi eſſet analogia, hic Hercul, hæc ſtrus, hic homon. Hæc oſtendunt non analogiam non eſſe, ſed obliquos caſus nõ habere caput ex ſua analogia. Nam ut in Alexandri ſtatua ſi impoſueris caput Philippi, membra conueniunt ad rationem, ſic & ad Alexandri membrorum ſimulachrũ caput, quod reſpondeat, ita fit. Nam ſi quis tunicam in uſu ita cõſuit, ut altera plagula ſit anguſtis clauis, altera latis: utraque pars in ſuo genere caret analogia. Item negant eſſe analogias, quòd alij dicũt cupreſſus, alij cupreßi; item de ficis, platanis, & pleriſq; arboribus, de quibus alij extremum V S, alij I faciunt: id eſt falſum: nam debent dici hi & hæ fici: quod eſt ut nummi, fici, ut nummorum, ficorum: ſi eſſent plures ficus, ut manus, diceremus ut manibus, ſic ficibus: & ut manuum, ſic ficuum: neque has ficos diceremus, ſed ficus, ut non manos, ſed manus. Sed neque conſuetudo diceret ſingulares obliquos caſus huius fici, neque ab hac fico, ut nõ dicit huius mani, ſed huius manus, & ab hac mano, ſed manu. Et illud putant eſſe cauſſæ, cur non ſit analogia, quod Lucilius ſcribit, Decuis, ſiue decußis eſt: qui errant, quòd Lucilius non debuit dubitare, quod utrumq; : nam in ære uſque ab aſſe ad centußis numerus æs adſignificat, & eius numero finiti caſus omnes à dupondio ſunt: quod dicitur à multis duobus modis, hic dupondius, & hoc dupondium, ut hoc gladium, & hic gladius: à treßibus uirilia multitudinis hi treſſes & his treßibus, cùm ſit ſingulare hoc treßis ab eo, ſic deinceps ad centußis. Deinde numerus æs non ſignificat. Numeri, qui æs non ſignificant uſque à quattuor ad centum, triplices habẽt formas, quòd dicuntur hi quattuor, hæ quattuor, hæc quatuor, cum peruentum

uentum eſt ad mille, quartum adſumit ſingulare neutrum, quod dicitur hoc mille denarium, à quo multitudinis fit millia denarium. Quare quom ad analogias quod pertineat, non eſt, ut omnia ſimilia dicantur, ſed ut in ſuo quæque genere ſimiliter declinentur, ſtultè quærunt, cur as, & dupondius, & treſsis non dicantur proportione: cũ as ſit ſimplex, dupõdius fictus,* quod duo aſſes pendebat, treſsis ex tribus æris, quòd ſic pro aſsibus nõnunquam æs dicebãt antiqui. A quo dicimus aſſem tenentes, Hoc ab ære, æneáq; libra, &, mille æris legaſſe. Quare, quòd à treſsis uſque ad centuſsis numeri eiuſmodi ſunt compoſiti, eiuſmodi habent ſimilitudinem: dupondius, quòd diſsimilis eſt, ut debuit, diſsimilem habet rationem. Sic as, quoniam ſimplex eſt, ac principium, & unum ſignificat, & multitudinis habet ſuum infinitũ: dicimus enim aſſes, quos cum finimus, dicimus dupondius, & treſsis, & ſic porrò: uideatur mihi, quoniam finitum & infinitum habeat, ſimilitudinem non habere, utrumque item dici: eò magis, quòd in ipſis uocabulis ubi additur certus numerus, aliter atque in reliquis dicitur. Nam ſic loquuntur hoc mille denarium, non hoc mille denarij: & hæc duo millia denariũ, nõ duo millia denarij. Si eſſet denarij in recto caſu, atque infinitã multitudinem ſignificaret, tunc in patrico denariorũ dici oportebat: & nõ ſolum in denarijs, uictoriatis, drachmis, nummis, ſed etiam in uiris idem ſeruari oportere, cum dicimus iudicium fuiſſe triumuirũ, decemuirum, non triumuirorum, decemuirorum. Numeri antiqui habent analogias, quòd omnibus eſt una nouenaria regula, duo actus, tres gradus, ſex decuriæ: quæ omnia ſimiliter inter ſe reſpondẽt. Regulæ eſt numerus nouenarius, quòd ab uno ad

* dict

nouem cum peruenimus, rurſus redimus ad unū, & hinc unum & nongenta ab una ſunt natura nouenaria: ſic ab octonaria, & deorſum uerſus ad ſingularia perueniunt. Actus primus eſt ab uno ad nongenta: ſecundus à mille ad nongenta millia, quod idem uidebat unum, & mille, utrūque ſingulari numero appellant. Nam ut dicitur, hoc unū, hæc duo millia, & ſic deinceps multitudinis: in duobus actibus reliqui omnes item numeri. Gradus ſingularis eſt in utroque eſt actu ab uno ad nouem: denarius gradus à decem ad nonaginta: centenarius ad nongenta. Ita tribus gradibus ſex decuriæ fiunt, tres milliariæ, & tres minores. Antiqui his numeris fuerunt contenti. Ad hos tertium & quartum actum à deciens minora impoſuerunt uocabula, neque ratione, ſed tamen non contra eſt eam, de qua ſcribimus, analogiam. Nam ut deciēs cum dicatur, hoc deciens, ut hoc mille, huius mille: ut ſit utrūq; ſine caſib. uocis, dicemus ut hoc mille, huius mille, ſic hoc deciens, huius deciens, nec eò minus in altero, quod eſt mille, præponemus hi mille, horum mille. Quoniā in eo eſt nomen cōmune, quam uocant ὁμωνυμίαν obliqui caſus, ab eodem capite ubi erit ὁμωνυμία, quo minus diſſimiles fiant, analogia non prohibet. Itaque dicimus hic Argus, cum hominem dicimus, cum oppidum Græcanice hoc Argos, Latine hi Argi item faciemus. Eadem uox nomen & uerbum ſignificabit, ut in caſus, & in tempora diſpariliter declinetur, ut faciamus à Meto, quod nomē eſt, Metonis, Metonem, quod uerbum meto, metis, metā, metebam. Reprehendūt, cum ab eadem uoce plura ſunt uocabula declinata, & ſunt, quas συνωνυμίας appellant, ut Sappho, & Alcæus, & Alcæo, ſic Geryon, & Geryones, & Geryonas. In hoc genere, quod caſus perperam permutant quidam,

non

non reprehendunt analogiam,ſed qui eis utitur imperitè. Quod quiſque caput pertenderit, ſequi debet eius conſequentias caſus in declinando, ac non facere, cum dixerit recto caſu Alcæus,in obliquis dicere Alcæoni,& Alcæonem.Quod ſi inſtiterit,nō ſecutus erit analogias. Reprehendunt Ariſtarchum, quod hæc nomina Melicertes, & Philomedes ſimilia neget eſſe, quòd uocandi caſus habet alter Melicerta, alter Philomede. Sic qui dicat lepus & lupus non eſſe ſimile,quòd alterius uocandi caſus ſit lupe, alterius lepus.Sic ſocer,macer,quòd in tranſitu fiat ab altero triſyllabum ſoceri, ab altero biſyllabum macri. De hoc, & ſi ſupra reſponſum eſt cum dixi de lana,hic quoque amplius adijciam; ſimilia non ſolum à facie dici, ſed 16 *etiam ab aliqua coniūcta ui & poteſtate, quæ & oculis, & auribus latere ſoleat. Itaque ſæpe gemina facie mala negamus eſſe ſimilia,ſi ſapore ſunt alio. Sic equos eadem facie nōnullos negamus eſſe ſimiles, natione ex procreante* 17 *diſſimiles. Itaque hominibus emēdis,ſi natione alter eſt melior,emimus pluris: atque in hiſce omnibus ſimilitudines non ſumimus tantum a figura, ſed etiam aliunde, ut in equis ætas,ut in his cuiuſmodi faciant pullos, ut in pomis, quo ſint ſucco.Si igitur idem ſequitur in ſimilitudine uerborum,quis reprehendendus non eſt. Quare diſſimilitudinum diſcernendarum cauſſa nonnunquam ut pronomen adſumitur, ſic caſum aliquem adſumi, ut in his nemus,lepus, hic lepus, hoc nemus.Itaque differunt, ac dicuntur * hi lepores, hæc nemora, ſic aliud ſiquid adſumptum erit extrinſecus, quo ſimilitudo penitus perſpici poſſit: non enim erit remotum à natura.Neque enim magnetes lapides duo inter ſe ſimiles ſint, nec ne, perſpicere poſſit, niſi minutum extrinſecus prope appoſueris ferrum, quod ſi-*

* diſcedunt, ac diducuntur.

miles lapides ſimiliter ducunt, diſsimiliter diſsimiles.

Quod ad nominationum analogiam pertinet, ita declinatum arbitror, ut omnia, quæ dicũtur contra, ad reſpondendum ab his ſumi fontibus poſsint. Quod ad uerborũ rationem attinet, cum partes ſint quattuor, temporum, perſonarum, generum, diuiſionũ, ex omni parte quoniam reprehendunt, ad ſingula reſpondebo. Primum quod aiunt analogias nõ ſeruari in temporibus, cum dicant lego legi legã, et ſic mille alia: nam quæ ſunt ut legi perfectũ ſignificare; duo reliqua legam, & lego inchoatum, iniuria reprehendunt. Nam ex eodem genere, & diuiſione idem uerbum, quod ſumptum eſt, per tempora traduci poteſt: ut diſcebam diſco diſcam, & eadem perfecti ſic, didiceram didici didicero, ex quo licet ſcire uerborum rationem conſtare. Sed eos, qui trium temporum uerba pronuntiare uelint, ſciẽter id facere ſcire licet. Item illos, qui reprehendunt, quòd dicimus amor amabor amatus ſum. Non enim debuiſſe in una ſerie unum uerbũ eſſe duplex, cum duo ſimplicia eſſent. Neque ex diuiſione, uniuſmodi penè uerba diſcrepant inter ſe. Nam infecta omnia ſimplicia ſimilia ſunt, & perfecta duplicia inter ſe paria in omnibus uerbis, ut hic, amabar, amor, amabor, amatus ero. Quare item male dicunt ferio, feriam, percuſsi, quòd eſt ordo feriam, ferio, feriebam, & item percuſsi, percutio, percutiã, Sic deinceps in reliquis temporib. reprehendenti reſponderi poteſt. Similiter errant, qui dicunt ex utraq; parte
28 uerba omnia commutare ſyllabas oportere, ut in his pungo pungam pupugi, tundo tundam tutudi: diſsimilia enim conferũt, uerba infecta cum perfectis. Quod ſi infecta modo conferrent, omnia uerbi principia incommutabilia uiderentur, ut in his, pungebam pungo pungam. Et contra

ex utraque parte commutabilia, ſi perfecta ponerent, ut pupugeram, pupugi, pupugero. Item male conferũt, fui ſum ero, quòd fui eſt perfectum, cuius ſeries ſibi, ut debet, in omnibus perſonis & formis conſtat; quod eſt, fueram fui fuero: de infectis ſum, quod nunc dicitur, dicebatur eſum, & in omnibus perſonis conſtabat, quod dicebatur eſum es eſt, eram eras erat, ero eris erit. Sic huiuſmodi cetera ſeruare analogiam uidebis. Etiam hoc reprehendunt, quòd quædam uerba neque perſonas habent ternas, neque tempora terna. Id imperitè reprehendũt, ut ſi quis reprehendat naturam, quòd non uniuſmodi finxerit animantes omnes. Si enim natura non omnes formæ uerborũ terna habeant tempora, ternas perſonas: non habent totidem uerborum diuiſiones. Quare cum imperamus naturæ, quòd infecta ſolum habet, cum & præſenti, & abſenti imperamus, fiunt terna, ut lege, legito, legat: perfectum enim imperat nemo. Contra quæ ſunt fatendi, ut lego legis legit, nouena fiunt uerba infecti, nouena perfecti. Quocirca non ſi genus cum genere diſcrepat, ſed in ſuo quiſq; genere ſi quid deeſt, requirendum: ad hæc addita ſi erunt ea, quæ de nominatiuis ſuprà ſunt dicta, facilius omnia ſoluentur. Nam ut illic extremum caput rectos caſus, ſic hic in forma eſt perſona eius, qui loquitur, & tẽpus præſens, ut ſcribo, lego. Quare ut illic fit, ſic hic item acciderit in formula, ut aut caput non ſit, aut ex alieno genere ſint proportione eadem, quæ illic dicimus, cur nihilominus ſeruetur analogia: item ſicut illic caput ſuum habebit, & in obliquis caſibus trãſitio erit in aliquam formulam, qua adſumpta reliqua facilius poſſunt uideri uerba unde ſint declinata. Fit enim ut rectus nonnunquam ſit ambiguus, ut in hoc uerbo uolo, quod id duo ſignificat, unum à

uoluntate, alterum à uolando. Itaque à uolo intelligimus & uolare, & uelle. Quidam reprehendunt, quòd pluit, & luit dicamus in præterito, & præſenti tempore, cum analogiæ ſui cuiuſq; temporis uerba debeant diſcriminare, falluntur: nam eſt, ac putant, aliter, quòd in præteritis V dicimus longum luit, pluit, in præſenti breue luit. pluit. Ideoq; in uenditionis lege fundi ruta cæſa ita dicimus, ut V producamus. Item reprehendunt quidam, quod putant idē eſſe ſacrifico, & ſacrificor, & lauat, & lauatur: quod ſit an non, nihil commouet analogiam, dum ſacrificat, qui dicat; ſeruet ſacrificabo, & ſic per totam formam: nec dicat ſacrificandus, aut ſacrificatus ſum, hæc enim inter ſe non conueniunt. Apud Plautum cum dicit: Piſceis ego credò, qui uſque dum uiuunt, adlauāt, diu minus lauari, quam hæc lauat Phroneſium. Adlauant lauari non conuenit, ut T ſit poſtremum, ſed R, ut lauātur. Analogia adlauari reddit, quod Plauti, aut librarij mendum fuit: ſi eſt, non ideo analogia, ſed qui ſcripſit, eſt reprehendendus: omnino & lauant, & lauātur, dicitur ſeparatim rectè in rebus certis, quòd puerum nutrix lauat, puer à nutrice lauatur, nos in balineis & lauamus, & lauamur. Sed conſuetudo alterutrū cùm ſatis haberet, in toto corpore potius utimur lauamur, in partibus lauamus: quòd dicimus lauo manus, ſic pedes, & cetera. Quare & in balineis nō rectè dicunt laui, laui manus rectè: ſed quoniam in balineis lauor, lauatus ſum, ſequitur ut contra, quoniam eſt ſoleo, oportet dici ſolui, ut Cato, & Ennius ſcribunt, non ut dicit uolgus ſolitus ſum debere dici. Neque propter hæc, quòd hæc quoque diſcrepant in ſermone pauca, minus eſt analogia, ut ſupra dictū eſt. Item cur nō ſit analogia, adferunt, quòd à ſimilibus ſimilia nō declinantur, ut ab dolo,

& colo: ab altero enim dicitur dolaui, ab altero colui. In quibus adſumi ſolet aliquid, quò facilius reliqua dicantur, ut in Myrmecidis operibus minutis ſolet fieri. Igitur in uerbis tēporalib. cùm ſimilitudo ſæpe ſit cōfuſa, ut diſcerni nequeat, niſi tranſieris in aliam perſonam, aut in tempus, quæ præpoſita ſunt, non eſſe ſimilia intellegūtur, cum tranſitum eſt in aliam perſonam, quòd alterum eſt dolas, alterum colis. Itaque in reliqua forma uerborū ſuam utraque ſequitur formam, utrum in ſecunda forma uerborum temporale habeat in extrema ſyllaba A S, ac ſi ad diſcernendas diſsimilitudines intereſt, quocirca quare ibi potius index analogiæ, quā in prima? quòd ibi abſtruſa eſt diſsimilitudo, ut apparet in his meo, neo ueho: ab his enim diſſimilia fiunt tranſitu: quòd ſic dicuntur, meas, nes, uehis, quorum unumquodq; ſuas conſeruat ſimilitudinis formas.

Analogiam item de his, quæ appellantur participia, reprehendunt multi iniuria. Nam non debent duci terna à ſingulis uerbis, amaturus, amans, amatus, quod eſt ab amo amans & amaturus: ab amor amatus. Illud analogia quod præſtare debet, in ſuo quidq; genere habet caſus, ut amatus amato amati, & ſic in mulieribus, amata amatæ, item amaturus eius modi habet declinationes: amans paulò aliter, quòd hoc genus omnia ſunt in ſuo genere ſimilia proportione: ſic uirilia & muliebria ſunt eadem. De eo, quod in priore libro extremum eſt, ideo non eſt analogia, quòd, qui de ea ſcripſerint, aut inter ſe non conueniant, aut in quibus conueniant, ea cum conſuetudinis diſcrepant uerbis utcumq;. Sic enim omnes repudiandum eſt artes, quòd in medicina, & in muſica, & in alijs multis diſcrepant ſcriptores. Item in quibus conueniunt, ut ſcriptis, ſic etiam repugnant naturæ: quod ita dicitur, ut

non ſit ars, ſed artifex reprehendendus, qui debet in ſcribendo uidiſſe uerum: nō ideo non poſſe ſcribi uerū, quod quis dicit hoc monti, & hoc fonti, cū alij dicant hoc monte, & hoc fonte, ſic alia: quæ duobus modis dicuntur, cum alterum ſit uerum, alterum falſum, non uter peccat, tollit analogias, ſed uter rectè dicit, confirmat. Et quemadmodū is, qui cum peccat in his uerbis, ubi duobus modis dicuntur, non tollit rationem, cum ſequitur falſum: ſic etiam in his, quæ non duobus dicūtur, ſi quis aliter putat dici oportere, atque oportet, non ſciētiam tollit orationis, ſed ſuam inſcitiam denudat. Quibus rebus ſolui arbitraremur poſſe, quæ dicta ſunt priore libro contra analogiam, ut potui breui percurri. Ex quibus ſi id confeciſſent, quod uolunt, ut in lingua Latina eſſet anomalia, tamē nihil egiſſent: ideo quòd in omnibus partibus mundi utraque natura ineſt: quòd alia inter ſe, ſunt ſicut in animalibus diſſimilia, ut equus, bos, ouis, homo, item alia in unoquoq; borum genere inter ſe ſimilia innumerabilia. Item in piſcibus diſſimilis muræna lupo, his ſoleæ, his murænæ, & muſtellæ, ſic alij: ut maior ille numerus ſit ſimilitudinum earum, quæ ſunt ſeparatim in murænis, ſeparatim in aſellis, ſic in generibus alijs. Quare cum in inclinationibus uerborum numerus ſit magnus à diſſimilibus uerbis ortus, quòd etiā uel maior eſt, in quibus ſimilitudines reperiuntur: confitendum eſt eſſe analogias. Itemq; cum ea non multò minus, quàm in omnibus uerbis patiatur uti conſuetudo communis, fatendum illud, quodammodo analogiam ſequi nos debere uniuerſos, ſingulos autem, præterquàm in quibus uerbis offenſura ſit conſuetudo communis: quòd ut dixi, aliud debet præſtare populus, aliud è populo ſinguli homines. Neque id mirum eſt, cum ſinguli

quoque

quoque non ſint eodem iure: nam liberius poteſt poëta, quàm orator ſequi analogias. Quare, cũ hic liber id, quod pollicitus eſt demonſtraturũ, abſoluerit, faciã finẽ: proximo deinceps de declinatorum uerborum forma ſcribam.

M. TERENTII VARR. DE LINGVA LATINA,

Liber nonus.

IN *uerborum declinationib. diſciplina loquendi diſsimilitudinem, an ſimilitudinem ſequi deberet, multi quærunt. Cum ab his ratio, quæ à ſimilitudine oriretur, uocaretur analogia, reliqua pars appellaretur anomalia: de qua re primo libro, quæ dicerẽtur, cur diſsimilitudinem ducẽ habere oporteret, dixi. Secũdo contrà, quæ dicerentur, cur potius ſimilitudinem conueniret præponi. Quarum rerum, quòd nec fundamenta, ut debuit, poſita ab ullo, neque ordo, ac natura, ut res poſtulat, explicata, ipſe eius rei formam exponam. Dicam de quattuor rebus, quæ continentur declinationibus uerborum, quid ſit ſimile, ac diſsimile, quid ratio, quam appellãt* λόγον, *quid proportio, quod dicunt* ἀνάλογον, *quid conſuetudo: quæ explicatæ declarabunt analogiam & anomaliam, unde ſit, quid ſit, cuiuſmodi ſit. De ſimilitudine & diſsimilitudine ideò primùm dicẽdum, quòd ea res eſt fundamentum omnium declinationum, ac continet rationes uerborum. Simile eſt, quòd res pleraſq; uidetur habere eaſdem, quas illud, cuius eſt ſimile. Diſsimule eſt, quod uidetur eſſe contrarium huius: minimùm ex duobus conſtat omne ſimile, item diſsimile. Quòd nihil poteſt eſſe ſimile, quin alicuius ſit ſimile: item nihil dicitur diſsimule, quin*

addatur

addatur quoius id ſit diſsimile: ſic dicitur ſimilis homo homini, equus equo, & diſsimilis homo equo: nam ſimilis eſt homo homini, ideo quòd eaſdẽ figuras membrorum habent, quæ eos diuidunt ab reliquorum animalium ſpecie: in ipſis hominibus ſimili de cauſſa uir uiro ſimilior, quàm uir mulieri, quòd plures habẽt eaſdem partes, & ſic ſenior ſeni ſimilior, quàm puero. Eò porro ſimiliores ſunt, qui facie quoque pæne eadem, habitu corporis ſimili. Itaque qui plura habẽt eadem, dicuntur ſimiliores: qui proximè accedunt ad id, ut omnia habeant eadem, uocantur gemini ſimilimi. Sunt, qui treis naturas rerum putent eſſe, ſimile, diſsimile, neutrum, quod aliàs uocetur non ſimile, aliàs non diſsimile. Sed quamuis tria ſint, ſimile, diſsimile, neutrum, tamen poteſt diuidi etiam in duas parteis, ſic: quodcumq; conferas, aut ſimile eſſe, aut non eſſe: ſimile eſſe & diſsimile, ſi uideatur: eſſe ut dixi: neutrum, ſi in neutram partẽ præponderet: ut ſi duæ res, quæ conferuntur, uicenas habent parteis, & in his denas habeant eaſdem, denas alias ad ſimilitudinẽ & diſsimilitudinem æque animaduertendas: hanc naturã pleriq; ſubijciunt ſub diſsimilitudinis nomen. Quare quoniam fit, ut potius de uocabulo, quàm de re controuerſia eſſe uideatur, illud eſt potius aduertendum, cum ſimilis eſſe dicitur quid, cui parti ſimile dicatur eſſe: in hoc enim ſolet eſſe error, quòd poteſt fieri ut homo homini ſimilis ſit, & non ſit, ut multas partes habeat ſimiles: & ideo dici poſsit ſimiles habere oculos, manus, pedes, ſic alias res ſeparatim, & unà plures. Itaque quod diligenter uidendum eſt in uerbis, quas partes, & quot modis oporteat ut ſimiles dicantur, ut infrà apparebit, is locus maximè lubricus eſt. Quid enim ſimilius poteſt uideri indiligenti, quàm duo uerba hæc, ſuis,

& ſuis?

& ſuis? quæ non ſunt. quòd alterum ſignificat ſuere, alterum ſuem. Itaque ſimilia eſſe uocibus, & ſyllabis confitemur, diſsimilia eſſe partibus orationis uidemus, quòd alterum habet tempora, alterum caſus: quæ duæ res uel maximè diſcernunt analogias. Item, propinquiora genere inter ſe uerba ſimilē ſæpe pariūt errorē, ut in hoc quòd nemus, & lepus uidētur eſſe ſimile, quòd utrumq; habuerit eundē caſum rectū: ſed nō eſt ſimile, quòd eis certæ ſimilitudines opus ſunt, in quo eſt, ut in genere nominū ſint eodē, quod in his non eſt: nā in uirili genere eſt lepus, & neutro nemus: dicitur enim hic lepus, et hoc nemus: ſi eiuſdē generis eſſent, utriq; præponeretur idē, ac diceretur, aut hic lepus, et hic nemus, aut hoc lepus, et hoc nemus: quare, quæ & cuiuſmodi ſunt genera ſimilitudinū ad hāc rē, perſpiciēdum ei, qui declinationes uerborū proportiōe ſint ne, quæret. Locū hunc, quòd eſt difficilis, qui de his rebus ſcripſerunt, aut uitauerunt, aut inceperunt, neque adſequi potuerunt. Itaque in eo diſſenſio, neq; ea uniuſmodi apparet. Nam alij de omnibus uniuerſis diſcriminibus poſuerunt numerum, ut Dionyſius Sidonius, qui ſcripſit ea eſſe ſeptuaginta unam: alij partes eius, quæ habent caſus: cuius eadem hic cum dicat eſſe diſcrimina quadragintaſeptem, Ariſtoteles rettulit in litteras quattuordecim, Neſtocles Parmeniſcus in litteras octo, ſic alij pauciora, aut plura. Quarum ſimilitudinum, ſi eſſet origo rectè capta, & inde orſa ratio, minus erraretur in declinationibus uerborum. Quarū ego principia prima duorū generū ſola arbitror eſſe, ad quæ ſimilitudines exigi oporteat: è queis unū poſitum in uerborum materia, alterum ut in materiæ figura, quæ ex declinatione ſit. Nam debet eſſe unum, ut uerbum uerbo, unde declinetur, ſit ſimile: alterū ut è uerbo in uer-

bum

bum declinatio, ad quam cõferatur, eiuſdem modi ſit: aliàs enim à ſimilibus uerbis ſimiliter declinantur, ut ab herus ferus, hero fero: aliàs diſsimiliter herus ferus, heri ferum. Cum utrumq; & uerbum uerbo erit ſimile, & declinatio declinationi: tùm deniq; dicam eſſe ſimilem, ac duplicem, & perfectam ſimilitudinem habere id, quod poſtulat analogia. Sed ne aſtutius uidear poſuiſſe duo genera eſſe ſimilitudinum ſola, cum utriuſque inferiores ſpecies ſint plures: ſi de his reticuero, ut mihi relinquam latebras, repetam ab origine ſimilitudineis, quæ conferẽdis uerbis, & inclinandis ſequendæ, aut uitandæ ſint. Prima diuiſio in oratione, quòd alia uerba nuſquã declinantur, ut hæc, uix, mox: alia declinãtur, ut à limo, limabo, à fero ferebam: & cum niſi in his uerbis, quæ declinãtur, non poſsit eſſe analogia, qui dicit ſimile eſſe mox, & nox, errat, quòd nõ eſt eiuſdem generis utrumq; uerbum, cum nox ſuccedere debeat ſub caſuum ratione, mox neq; debeat, neque poſsit.

Secũda diuiſio eſt de his uerbis, quæ declinari poſſunt, quòd alia ſunt à uoluntate, alia à natura. Voluntatẽ appello, cum unuſquiſq; à nomine alio imponit nomen, ut Romulus Roma. Naturam dico, cum uniuerſi acceptum nomen ab eo, qui imponit, non requirimus, quemadmodum id uelit declinari, ſed ipſi declinamus, ut huius Romæ, hãc Romam. De his duabus partibus uoluntaria declinatio refertur ad conſuetudinem, naturalis ad rationem. Quare proinde, ac ſimile, conferri non oportet, ac dicere, ut ſit à Roma Romanus, ſic ex Capua dici oportere Capuanus, quod in conſuetudine uehementer nutat, * quod declinantes imperitè rebus nomina imponunt, à quibus cum accepit conſuetudo, turbulenta neceſſe eſt dicere: itaq; neque Ariſtarchus, neque alij in analogijs defendendam eius

*ægrotat

ſuſcepe

ſuſceperunt cauſſam. Sed, ut dixi, hoc genere declinatio in communi conſuetudine uerborum ægrotat, & langueſcit: quod oritur è populi multiplici imperio. Itaq; in hoc genere in loquendo magis anomalia, quàm analogia. Tertia diuiſio eſt, quæ uerba declinat à natura, ea diuiditur in parteis quattuor. In unam primam, uidelicet, quæ habet caſus, neque tempora habet, ut docilis, facilis: in alteram, quæ tempora habet, neque caſus, ut docet, facit: in tertiam, quæ utraque habet, ut docēs, faciens: in quartam, quæ neutrum, ut doctè. Ex hac diuiſiōe ſingulis partibus tres reliquere diſsimiles. Quare niſi in ſua parte inter ſe collata erunt uerba, ſi non conueniunt, non erit ita ſimile, ut debeat facere idem. In articulis uix adumbrata eſt analogia, & magis uocū, quàm rerū: in nominibus magis expreſſa: ac plus etiam in uocibus, ac ſimilitudinibus, quàm in rebus ſuam obtinet rationem. Etiam illud accedit, in articulis habere analogias oſtendere ſit difficile, quòd ſingula ſint uerba, hic contra facile, quòd magna ſit copia ſimilium nominum.* Quare non tàm hanc partem ab illa diuidendū, quàm illud uidendum, ut ſatis ſit uerecundi, etiam illam in eandem arenam uocare pugnatū. Vt in articulis duæ partes finitæ, & infinitæ, ſic in uocabulis duæ, uocabulum, & nomen. Non enim idem, oppidū, & Roma, cum oppidum ſit uocabulum, Roma nomē: quorum diſcrimen in his reddendis rationibus alij diſcernunt, alij non. Nos ſicubi opus fuerit, quid ſit, & cur, adſcribimus uniuſcuiuſq; partes: quoniam ſpecies plures, de ſingulis dicam. Prima pars caſualis diuiditur in partes duas, in nominatiuum, ſcilicet, quod finitum & infinitum eſt, ut hic, & quis. De his generibus duobus utrum ſumpſeris, cum reliquo non conferendum, quòd inter ſe diſsimiles habeant analogias, nomi-

* nominatuum

natus.

natus. Vt ſimilis ſit nominatus, habere debet, ut ſit eodem genere, ſpecie eadem, ſic caſu, exitu, & genere, ut ſi nomē eſt, quod conferas, ſit nomen: ſpecie ſimile, ut non ſolum, ſed utrumq; ſit uirile: caſu ſimile, ut ſi alterum ſit dandi, item alterum ſit dandi, quo cum conferas: exitu, ut quas unum habeat extremas litteras, eaſdem alterum habeat. Ad hūc quadruplicem fontem ordines dirigūtur bini: uni tranſuerſi, alteri directi, ut in tabula ſolet, in qua latrunculis ludunt. Tranſuerſi ſunt, qui à recto caſu obliqui declinantur, ut albus albi albo: directi ſunt, qui à recto caſu in rectos declinantur, ut albus alba album: utriq; ſunt partibus ſenis. Tranſuerſorum ordinum partes appellātur caſus, directorum genera, utriſq; inter ſe implicatis, forma. Dicam prius de tranſuerſis. Caſuum uocabula alius alio modo appellauit: nos dicemus, qui nominandi cauſſa dicitur, nominandi, uel nominatiuum. * DESVNT PAGINAE TRES.* *& ſcopæ dicitur una ſcopa. Aliter eſt natura, quòd priora ſimplicibus, poſteriora coniunctis rebus uocabula ponuntur: ſic bigæ, ſic quadrigæ à coniunctu dictæ. Itaque non dicitur, ut hæc una, lata, & alba, ſic una biga, ſed unæ bigæ: neque ut dicitur, hæ duæ latæ albæ, ſic hæ duæ bigæ, & quadrigæ. Item figura uerbi qualis ſit refert, quòd in figura uocis aliàs commutatio ſit in uno uerbo in medio, ut curſo curſito: aliàs in extremo, ut doceo docui: aliàs communis, ut lego legi. Refert igitur, ex quibus litteris quodque uerbum conſtet, maximè extrema, quòd ea in pleriſq; commutatur. Quare in his quoque partibus ſimilitudines ab alijs male, ab alijs bene: quod ſolent ſumi in caſibus conferendis rectè, an perperam, uidendum. Sed ubicumq; commouentur litteræ, non ſolum hæ ſunt animaduertendæ, ſed etiam quæ proximæ*

ſunt,

ſunt, neque mouentur: hæc enim uicinitas aliquantum poteſt in uerborum declinatiōibus. In queis figuris nō ea ſimilia dicemus, quæ ſimuleis res ſignificant, ſed quæ ea forma ſint, ut eiuſmodi res ſimilia ex inſtituto ſignificare plerumq; ſoleant: ut tunicam uirilem, & muliebrem, dicimus non eam, quam habet uir, aut mulier, ſed quam habere ex inſtituto debet: poteſt enim muliebrē uir, uirilē mulier habere, ut in ſcena ab actoribus haberi uidemus: ſed eam dicimus muliebrē, quæ de eo genere eſt, quo indutu mulieres, ut uterentur, eſt inſtitutum. Vt actor ſtolam muliebrem, ſic Perperna, & Cæcina, & Spurina figura muliebria dicuntur habere nomina, non mulierum. Flexuræ quoque ſimilitudo uidenda ideò, quòd alia uerba quam uim habeant, ex his uerbis, unde declinantur, apparet, ut quemadmodum oporteat, à prætor conſul, prætori conſuli. Alia ex trāſitu intellegūtur, ut ſocer macer, quòd alterum fit ſocerum, alterum macrum: quorum utrumque in reliquis à tranſitu ſuam uiam ſequitur & in ſingularibus, & in multitudinis declinationibus. Hoc fit ideò, quòd naturarum genera ſunt duo, quæ inter ſe cōferri poſſunt: unum, quod per ſe uideri poteſt, ut homo & equus: alterum ſine adſumpta aliqua re extrinſecus perſpici nō poſſit, ut eques, & equito: utrumque enim dicitur ab equo: quare hominem homini ſimilem eſſe, aut non eſſe, ſi contuleris ex his ipſis homini animaduerſis ſcies. Ac duo inter ſe ſimiliter ne ſint longiores, quàm ſint eorum fratres, dicere non poßis, ſi illis breuiores, cum quibus conferuntur, quàm longi ſint ignorentur. Sic latiorum, atque altorum, item cetera eiuſdem generis, ſine adſumpto extrinſecus aliquo perſpici ſimilitudines non poſſunt. Sic igitur quidam caſus, quòd ex hoc genere ſunt, non facile eſt dicere

cere ſimiles eſſe, ſi eorum ſingulorum ſolum animaduertas uoces, niſi adſumpſeris alterum, quo flectitur in tranſeundo uox. Quod ad nominatuū ſimilitudines animaduertendas arbitratus ſum ſatis eſſe tangere, hæc ſunt. Relinquitur de articulis: in quibus quædam eadem, quædam alia. De quinque enim generibus duo prima habent eadem, quòd ſunt & uirilia, & muliebria, & neutra: & quòd alia ſunt, ut ſignificēt unum, alia ut plura, & de caſibus, quos habent quinos. Nam uocandi uoce notatus non eſt. Proprium illud habent, quòd partim ſint finita, ut hic & hæc: partim infinita, ut quis & quæ: quorum, quòd adumbrata, & tenuis analogia, in hoc libro plura dicere non neceſſe eſt. Secundum genus, quæ uerba tempora habent, neque caſus, ſed habent perſonas, eorum declinatuum ſpecies ſunt ſex. Vna, quæ dicitur temporalis, ut legebam, gemebam, lego, gemo. Altera perſonarum, ut ſero, meto, ſeris, metis. Tertia rogandi, ut ſcribo'ne, lego'ne, ſcribis'ne, legis'ne? Quarta reſpondendi, ut fingo, pingo, fingis, pingis. Quinta optandi, ut dicerem, facerem, dicam, faciam. Sexta imperandi, ut cape, rape, capito, rapito. Item ſunt declinatuum ſpecies quattuor, quæ tempora habent ſine perſonis in rogando, ut foditur'ne? ſeritur'ne? & fodietur'ne? ſeretur'ne? Ab reſpondendi ſpecie eædem figuræ fiunt extremis ſyllabis demptis. Optandi ſpecies, ut uiuatur, ametur, uiueretur, amaretur. Imperandi declinatus ſint'ne, habet dubitationem: & earum ſit'ne hæc ratio, paretur, pugnetur, parari, & pugnari. Accedūt ad has ſpecies à copulis diuiſionum quadrinis: ab infecti, & perfecti, emo, edo, emi, edi: à ſemel & ſæpius, ut lego, ſcribo, lectitaui, ſcriptitaui: faciendi, & patiendi, ut uro, ungo, uror, ungor. A ſingulari & multitudinis, ut laudo, culpo, lauda-

mus,

mus, culpamus. Huius *generis uerborum, cuius ſpecies expoſui, quàm late quidq; pateat, & cuiuſmodi efficiat figuras, in libris, qui de formulis uerborum erunt, diligentius expedietur.* Tertij *generis quæ declinãtur cum temporibus & caſibus, ac uocantur à multis ideo participalia, hoc eſt, gerundi.* * DESVNT PAGINAE TRES. * *quemadmodum declinamus, quærimus caſus eius, etiam ſi is, qui finxit poëta aliquod uocabulum, & ab eo caſu ipſe aliquem perperam declinauit, potius eum reprehendimus, quàm ſequimur.* Igitur *ratio, quam dico, utrobiq; eſt in his uerbis, quæ imponũtur, & in his, quæ declinantur: neque non etiam tertia illa quæ ex utroque miſcetur genere.* Quarum *unaquæq; ratio conlata cum altera, aut ſimilis, aut diſsimilis, aut ſæpe uerba alia, ratio eadem, & nõnumquam ratio alia, uerba eadem.* Quæ *ratio in amor amori, eadem in dolor dolori, neque eadem in dolor dolorem: & cum eadem ratio, quæ eſt in amor & amoris, ſit in amores & amorum: tamẽ ea, quòd non in ea, quæ oportet, confertur materia, per ſe ſolum efficere non poteſt analogias, propter diſparilitatem uocis figurarum.* Quod *uerbum copulatum ſingulare cum multitudine, ita cum eſt proportione, ut eandem habeat rationẽ, tùm denique, ea ratio conficit id, quod poſtulat analogia, de qua deinceps dicam.* Sequitur *tertius locus, quæ ſit ratio, & proportio, quæ à* Græcis *uocatur* ἀνάλογον, *hinc dicta analogia.* Ex *eodem genere, quæ res inter ſe aliqua parte diſsimules, rationem habent aliquam, ſi ad eas duas alteræ res duæ conlatæ ſunt, quæ rationem habeant eandem: quòd ea uerba bina habent eundem* λόγον, *dicitur utrumque ſeparatim analogon: ſimul conlata quattuor, analoga.* Nam *ut in geminis cum ſimile dicimus eſſe* Menæchmum Me-

 næchmo,

næchmo, de uno dicimus, cum ſimilitudinē eſſe in his, de utroque uideatur. Sic cum dicimus eandem rationem habere aſſem ad ſemiſſem, quam habet in argento libella ad ſembellam: quid ſit analogon, oſtendimus, cum utrobique dicimus, & in ære, & argento eſſe eandem rationem: cum dicimus de analogia, ut ſodalis, & ſodalitas, ciuis & ciuitas, non eſt idem, ſed utrumque ab eodem, ac coniunctum. Sic analogon, & analogia idem non eſt, ſed item * eſt congeneratum. Quare, ſi homines ſubſtuleris, ſodales ſubſtuleris: ſi ſodales, ſodalitatem. Sic item ſi ſubſtuleris λόγον, ſubſtuleris analogon, ſi id, analogiam: quæ cum inter ſe tanta ſint cognatione, debebit ſubtilius audiri, quàm dici expectare, id eſt, cum dixero quid de utroq;, & erit commune, expectes, dum ego in ſcribendo transferam in reliquum. Sed ut potius tu perſequare animo, hæc fiunt in diſsimilibus rebus: ut in numeris, ſi cōtuleris cum uno duo, ſic cum decem uiginti. Nam quam rationem duo ad unum habent, eandem habent uiginti ad decem. In nummis ſimilibus, ſic eſt ad unum uictoriatum denarius, ſicut ad alterum uictoriatum alter denarius. Sic item in alijs rebus omnibus proportione dicuntur, in quo eſt: ſic quadruplex natura, ut in progenie, ut eſt filius ad patrē, ſic eſt filia ad matrem: & ut eſt in tēporibus meridies ad diem, ſic media nox ad noctem. Hoc poëtæ genere in ſimilitudinibus utuntur: multum hoc acutiſsimè geometræ: hoc in oratione diligētius, quàm alij ab Ariſtarcho grammatici, ut cum dicunt proportione ſimilia eſſe amorem amori, dolorem dolori. Cum item diſsimile eſſe uideant amorem dolori, quod eſt alio caſu, item dolorem dolori: ſed dicunt, quòd à ſimilibus nonnumquam rationes habent implicatas duas, ut ſit una directa, altera tranſuerſa: quod dico, apertius ſic

* idem)

fiet.

fiet. Eſto ſic expoſitos eſſe numeros, ut in primo uerſu ſit unum, duo, quattuor, in ſecūdo decem, uiginti, quadraginta, in tertio centum, ducenta, quadringenta. In hac formula numerorum duo inerunt, quos dixi λόγους, qui diuerſas faciunt analogias: unus duplex, qui eſt in obliquis uerſib. quod eſt unus ad duo, ſic duo ad quattuor: alter decemplex in directis ordinibus, quod eſt unus ad decem, ſic decem ad centum. Similiter in uerborū declinationibus eſt biuium, quod ab recto caſu in recto: ita ut formulam ſimiliter efficiant, quòd ſit primo uerſu hic albus, huic albo, huius albi. Secundo hæc alba, huic albæ, huius albæ. Tertio hoc album, huic albo, huius albi. Itaque fiunt per obliquas declinationes ex his analogiæ hoc genus.

* DESVNT QVAEDAM. *

albius atrius, albio atrio: per directas declinationes albius, atrius, albia atria: quæ ſcilicet erit particula ex illa uicenaria * tria, quæ ſcilicet centenaria formula analogiarum, de qua ſupra dixi. (* ducennaria) analogia, quæ dicitur, eius genera ſunt duo. Vnum dijunctum ſic eſt, ut unū ad duo, ſic decem ad uiginti: alterum coniunctum, ſicut eſt unum ad duo, ſic duo ad quattuor: in hoc quod duo bis dicūtur, & tum cōferimus ad unum, & tum cum quattuor. Hoc quoque, natura dicitur quadruplex: ſic à ſeptem chordis citharæ, tamen duo dicuntur habere tetrachorda, quòd quemadmodum crepat prima ad quartam chordam, ſic quarta ad ſeptimam reſpondet: media eſt alterius prima, alterius extrema. Medici, in ægrotis ſeptimos dies qui obſeruant quarto die, ideo diligentius ſigna morbi aduertūt, quòd quam rationē habuit primus dies ad quartum, eandem præſagit habiturum, qui eſt futurus ab eo quartus, &

qui eſt ſeptimus à primo : quadruplices deiunctæ ſunt in caſibus uocabulorum , ut rex regi. Coniunctæ *ſunt triplices in uerborum tribus temporibus, ut legebam lego legam : quòd quam rationem habet legebam ad lego, hanc habet lego ad legam.* In *hoc ferè omnes homines peccant, quòd perperā tribus temporibus hæc adijciunt, cum proportione uolunt pronūtiare.* Nam *cum ſint uerba alia infecta, ut lego & legis, alia perfecta, ut legi, & legiſti: & debeant ſui cuiuſque generis in coniungendo copulari: & cum rectè ſit ideo lego ad legebam, non rectè eſt lego ad legi: quod legi ſignificat quid perfectum, ut hoc, tutudi, pupugi, tundo, pungo, tundam pungam, item necatus ſum, uerberatus ſum, necabor, uerberabor.* Iniuria *reprehendunt, quòd infecti inter ſe ſimilia ſunt, & perfecti inter ſe, ut tundebam, tundo, tundam, et tutuderam, tutudi, tutudero. Sic amabar, amor, amabor, & amatus eram, amatus ſum, amatus ero. Itaque reprehendunt, qui contra analogias dicunt, cur diſpariliter in tribus temporibus dicantur quedā uerba natura, cum quadruplex ſit natura analogia : id nonnunquàm, ut dixi, pauciores uidetur habere partes, ſic etiam aliàs plureis : ut cum eſt, quemadmodū ad tria unum & duo, ſic ad ſex duo & quattuor: quæ tamen quadripartita comprehenditur forma, quòd bina ad ſingula conferuntur, quod in oratione quoque nonnunquam reperietur. Sicut* Diomedes *confertur* Diomedibus, *ſic dicitur ab* Hercules Herculibus: *& ut hæ hic ab uno capite, à recto caſu in duos obliquos deſcendunt caſus, ſic contrà multa à duobus capitibus recti caſuum confluunt in obliquum unum.* Nam *ut ab his rectis hi* Bœbij, *hæ* Bœbiæ, *fit his* Bœbijs: *ſic eſt ab his hi* Cœlij, *hæ* Cœliæ, *his* Cœlijs. A *duobus ſimilibus ſimiliter declinantur : ut ſit in*

his,

bis,nemus,olus, nemora, olera. Alia à diſsimilibus ſimiliter declinantur : ut in articulis ab hic, iſte , hunc , iſtum.

Analogia fundamenta habet,aut à uoluntate hominum, aut à natura uerborum, aut re utraque : uoluntatem dico, impoſitionem uocabulorum: naturam, declinationem uocabulorum,quo decurritur ſine doctrina. Qui impoſitionem ſequetur,dicet : ſi ſimile in recto caſu dolus, & malus,fore in obliquo dolo, & malo : ſi naturam ſequetur, ſi ſit ſimile in obliquis Marco,Quincto,fore ut ſit Marcum, Quinctum:qui utrumq; ſequetur,dicet,ſi ſit ſimilis tranſitus,ut eſt in ſeruus ſerue,fore ut ſit item in ceruus cerue. Commune omnium eſt , ut quattuor figuras uocis habeat proportione declinatus.Primum genus eſt ortum ab ſimilitudine in rectis caſibus. Secundum ab ſimilitudine , quæ eſt in obliquis.Tertium à ſimilitudine,quæ eſt in tranſitibus de caſu in caſum. Primo genere ab impoſito ad naturam proficiſcuntur:in ſecũdo contrà:in tertio ab utroque. Quocirca etiam hoc tertium poteſt bifariam diuiſum eſſe, tertium, & quartum dici, quòd in eo ut proſas, & roſas poteſt dici.Qui initia faciet analogiæ impoſitiones , ab his obliquas figuras declinare habebit : qui naturam , contra , qui ab utraque , reliquas declinationes ab huiuſmodi tranſitibus. Impoſitio eſt in noſtro dominatu, nos in natura : quemadmodum enim quiſq; uult, imponit nomen,at declinat, quemadmodum uult natura. Sed quoniam duobus modis imponitur uocabulum , aut re ſingulari, aut multitudine : ſingulari, ut cicer:multitudinis, ut ſcalæ. Nec dubium eſt,quin ordo declinatuum, in quo res ſingulares declinantur,ſolæ ab ſingulari aliquo caſu proficiſcantur,ut cicer ciceri ciceris : item contra in eo ordine , qui multitudinis erit ſolum , quin à multitudinis alio

quo caſu ordiri conueniat, ut ſcalæ ſcalis ſcalas. Aliud uidendum eſt, cum duplex natura copulata, ac declinatuum bini fiant ordines, ut eſt Mars Martis. Vnde autem ratio analogiæ debuit ordiri, utrum ab ſingulari re in multitudinem, an cõtra? neque enim ſi natura ab uno ad duo peruenit, idcirco non poteſt amplius eſſe in docendo poſterius, ut inde incipias, ut quod ſit prius oſtẽdas. Itaque illi, qui de omni natura diſputant, atque ideò uocantur phyſici, tamen ex his ab uniuerſa natura profecti, retroq; eſſe principia mundi oſtendunt. Oratio cum ex litteris conſtat, tamen eam* grammatici litteris oſtenderunt. Quare in demonſtrando, quoniam potius profeciſſe oportet ab eo, quod apertius eſt, quàm ab eo, quod prius eſt, & potius ab incorrupto principio, ab natura rerum, quàm ab libidine hominum: & hæc tria, quæ ſequenda magis ſunt, minus ſunt in ſingularibus, quàm in multitudine, commodius poteſt ordiri: quòd in his principijs minus, orationis uerbis fingendis uerborũ forma, facilius ſingularia uideri poſſe, quàm ex ſingularib. multitudinis: hæc oſtendũt trabes trabs, duces dux. Videmus enim ex his uerbis trabes, duces, de extrema ſyllaba E litterã excluſam, & ideo in ſingulari factũ eſſe trabs, dux. Contra ex ſingularibus non tam uidemus, quemadmodum facta ſint ex B, & S trabs. ex C & S dux. Si ſimilitudinis rectus caſus forte figura corrupta erit, id quod accidit rarò, prius id corrigemus, quàm inde ordiemur. Obliquis aſſumere oportet figuras eas, quæ non erunt ambiguæ, ſiue ſingulares, ſiue multitudinis, ex quibus id cuiuſmodi debent eſſe, perſpici poſſint. Nam nunquam alterum ex altero uidetur, ut Chryſippus ſcribit, quemadmodum pater ex filio, & filius ex patre, neque minus in fornicibus propter ſiniſtram dextra ſtat,

quàm

* de ea

quàm propter dexteram ſiniſtra: quapropter, ut ex rectis caſibus obliqui, & ex obliquis recti, & ex ſingularibus multitudinis, & ex multitudinis ſingulares nonnunquam recuperari poſſunt: principium id potiſſimum ſequi debemus, ut in eo fundamentum ſit in natura, quod in declinationibus ibi facilior ratio. Facile enim eſt animaduertere peccatum magis cadere poſſe in impoſitiones eas, quæ fiunt plerumq; in rectis caſibus ſingularibus: quòd homines imperiti, & diſperſi uocabula rebus imponunt, quocumque eos libido inuitauit. Natura incorrupta eſt plerumque ſuapte ſponte, niſi qui eam uſu inſcio deprauauit. Quare ſiquis principium analogiæ potius poſuerit in naturalibus caſibus, quã in impoſitiuis, non multa in conſuetudine occurrent, ut à natura libido humana corrigitur, non ab libidine natura: quod qui impoſitionem ſequi uoluerint, facient contra: ſin à ſingulari qui potius proficiſci uolet, id illum facere oportebit ab ſexto caſu, qui eſt proprius: Latinis enim non eſt caſus alius. His litterarum diſcriminibus facilius reliquorum uarietatem diſcere poterit, quòd ij habent exitus aut in A, ut ab hac terra: aut in E, ut ab hac lance: aut in I, ut ab hoc leui: aut in O, ut ab hoc cœlo: aut in V, ut ab hoc uerſu. Igitur ad demonſtrandas declinationes biceps una hæc. Sed quoniã ubi analogia tria, unũ quod in rebus, alterũ quod in uocibus, tertium quod in utroque: duo priora ſimplicia, tertium duplex: animaduertendum hæc, quam inter ſe habeant rationem. Primum ea, quæ ſunt diſcrimina in rebus, partim ſunt quæ ad rationem non attineant, partim quæ pertineant. Non pertinent, ut ea, quæ obſeruant in ædificijs, & ſignis faciendis, ceterisq; rebus artifices, è queis uocantur aliæ harmonicæ, ſic item aliæ nominibus alijs: ſed nulla ha-*

* reputari

rum ſit loquendo pars ad orationem. Quæ pertinent res, eæ ſunt, quæ uerbis dicuntur proportione, neque à ſimilitudine quoque uocum declinatus habent, ut Iupiter Marſpiter, Ioui Marti. Hæc enim genera nominum, & numero, & caſibus ſimilia ſunt, proportione: ſimilia inter ſe, quòd utraque nomina ſunt, & uirilia ſunt, & ſingularia, & caſu nominandi & dandi. Alterum genus uocale eſt, in quo uoces modo ſunt proportione ſimules, non res: ut biga, bigæ, nuptia, nuptiæ. Neque enim in his res ſingularis ſubeſt una, cum dicitur biga, quadriga: neque ab his uocibus, quæ declinata ſunt, multitudinis, ſignificãt quidquam. Ideo quòd omnia multitudinis, quæ declinantur ab uno, ut à merula merulæ, ſunt eiuſmodi, ut ſingulari ſubiungantur: ſic merulæ duæ, caculæ tres, faculæ quattuor. Quare cum idem non poſſit ſubiungi: cum dicimus unæ bigæ, quadrigæ duæ, nuptiæ tres, ſed pro eo unæ bibæ, binæ quadrigæ, trinæ nuptiæ, apparet nõ eſſe biga, & quadriga, & bigæ, & quadrigæ: ſed ut eſt huius ordinis una duæ tres, principium una: ſic in hoc ordine altero, unæ binæ trinæ, principium eſt unæ. Tertium genus eſt illud duplex, quod dixi, in quo & res, & uoces ſimiliter proportione dicuntur, ut bonus malus, boni mali: de quorum analogia & Ariſtophanes, & alij ſcripſerũt. Etenim hæc deniq; perfecta, ut in oratiõe illæ duæ ſimplices inchoatæ analogiæ: de quibus tamen ſeparatim dicam, quòd his quoque utimur in loquendo. Sed prius de perfecta, in qua & res, & uoces quadam ſimilitudine continentur: cuius genera ſunt tria, unum uernaculum, ac domi natum, alterum aduenticium, tertium nothum, ex peregrino hic natum. Vernaculum eſt, ut ſutor, & piſtor, ſutori, & piſtori. Aduenticium eſt, ut Hectores, Neſtores, Hectoras, Neſtoras.

ſtoras. Tertium illud nothum,ut Achilles, & Peleus: eo genere multi utuntur,non modo poëtæ,ſed etiam pleriq;: hæc primo omnes, qui ſoluta oratione loquuntur, dicebant,ut quæſtorem, prætorem, ſic Hectorem, Neſtorem. Itaque Ennius ait: Hectoris natum de muro Troiano iactari. Actius hoc in tragœdijs largius à priſca conſuetudine mouere cœpit, & ad formas Græcas uerborum magis reuocare: & à quo Valerius ait: Actius Hectorem nollet facere, Hectora mallet. Quod aduenticia pleraque habemus Græca, ſecutũ, ut de nothis Græcanicos quoque nominatos plurimum haberemus. Itaque ut hic alia Græca, alia Græcanica, ſic analogiæ. E quibus quæ ſic nothæ fiunt declinatiões, de his aliæ ſunt priſcæ, ut Bacchides, Chryſides: aliæ minores, ut Chryſidis, Bacchidis: aliæ recentes, ut Chryſidas, Bacchidas: cùm his omnibus tribus utantur noſtri, maxime qui ſequuntur media in loquendo, offendunt minimum: quòd prima parum ſimilia uidentur eſſe Græcis, unde ſint translata: tertia parum ſimilia noſtris.

Omnis analogiæ fundamentum ſimilitudo quædam, ut dixi, quæ ſolet eſſe, in rebus, in uocibus, & in utroque: in qua harum parte cumque ſit in ferendo, & cuiuſmodi, uidendum. Nam, ut dixi, neq; rerum, neque uocis ſimilitudo ad has duplices, quæ in loquendo quærimus, ſeparatim ſatis eſt, quod utraq; parte opus eſt ſimili, analogias uerborum exprimendas: quas ad loquendum ut perducas, accedere debet uſus. Alia enim ratio, qua facias ueſtimentũ, alia quemadmodum utare ueſtimento. Vſus ſpecies uidentur eſſe tres: una conſuetudinis ueteris, altera conſuetudinis huius, tertia autem neutra. Vetera, ut caſcus furus, caſci furi: huius conſuetudinis, ut albus caldus, albo caldo: neutra, ut ſcala falera, ſcalam faleram: ad quas accedere poteſt

teſt quarta,quæ eſt mixta,ut amicitia inimicitia,amicitiam inimicitiam.Prima eſt,qua uſi antiqui,& nos reliquimus. Secunda,qua nunc utimur.Tertia,qua utuntur poëtæ.

*Analogia non item ea definienda, quæ dirigitur ad naturam uerborum,atque illa, quæ ad uſum loquendi. Nam prior definienda ſic: Analogia eſt uerborum ſimilium declinatio ſimilis.Poſterior ſic:Analogia eſt uerborum ſimilium declinatio ſimilis, nõ repugnante conſuetudine communi. Ad quam harum duarũ ad extremum additum erit hoc,ex quadam parte,poëtica analogia erit definita. Harum primam ſequi debet populus, ſecundã omnes ſinguli è populo,tertiam poëtæ. Hæc diligentius, quàm apertius dicta eſſe arbitror. Sed non obſcurius, quàm de re ſimili definitiones grãmaticorũ ſunt, ut Aruſini, * Ariſtodemi, Ariſtoclis,itẽ aliorũ, quorũ obſcuritates eò minus reprehendendæ, quòd pleræque definitiones re incognita propter ſummam breuitatem, non facile perſpiciuntur, niſi articulatim ſit explicata. Quare magis apparebit, ſi erit apertum de ſingulis partibus, quid dicatur uerbum, quid ſimilitudo uerbi, quid declinatio, quid ſimilitudo declinationis non repugnante conſuetudine communi, quid ex quadam parte. Verbũ dico orationis uocalis partem,quæ ſit indiuiſa, & minima, ſi declinationem naturalem habeat.Similem,uerbũ uerbo,tum cum & res, quam ſignificat,& uocem, qua ſignificatur, & in figura tranſitum declinationis parilem. Declinatio eſt, cum ex uerbo in uerbum, aut ex uerbi diſcrimine, ut tranſeat mens, uocis commutatio fit aliqua. Similitudo declinationis,cum item ex aliqua figura in figuram tranſit, ut id tranſit,cum quo confertur. Adiectum eſt, non repugnante conſuetudine communi: quòd quædam uerba contra uſum ueterem declinata*

* Ariſtæ.

clinata patietur, ut paſſa Hortenſium dicere pro has ceruices, ceruix: quædam non, ut ſi dicas pro fauces, faux. Vbi additur ex quadã parte, ſignificat nõ eſſe in conſuetudine in his uerbis omneis partes, ut declinatũ amo, iuuo, amor, iuuor. Quid uideretur analogia in oratione, & quas haberet ſpecies, & quæ de his ſequẽda uiderentur, ut breui potui, informaui. Nunc in quibus non debeat eſſe, ac proinde ac debeat, ſoleat quæri, dicam. Ea ferè ſunt quattuor genera: primum in id genus uerbis, quæ nõ declinantur, analogia nõ debet quæri, ut in his nequam, mox, uix. De his magis in alio, quàm in alio erratur uerbo: dicunt enim non habere caſus mox, & uix, nequam habere: quod dicamus hic nequã, huius nequam, huic nequam: cum intellegimus, aut hominis eius, quem uolumus oſtendere eſſe nequam, dicimus caſus, & ei præponimus non, cuius putamus nequitiam. Quod uocabulum factum, ut ex non & uolo, nolo, ſic ex ne & quidquam, item media extrita ſyllaba, coactum eſt nequam. Itaque ut eum, quem putamus eſſe nõ hili, dicimus nihili, ſic in quo putamus eſſe nequidquam, dicimus nequam. Secundo ſi unum ſolum habent caſum in uoce, quòd non declinentur, ut litteræ omnes. Tertio ſi ſingularis eſt uocabuli ſeries, neque habet cum qua comparari poſſit, ut eſſe putant caput capitis capite. Quartum ſi ea uocabula, quæ conferuntur inter ſe, rationem habent, quam oportet, ut ſocer ſocrus, ſocerum ſocrum. Contra in quibus debeat quæri analogia, ferè totidem gradus debent eſſe coniuncti. Primum ut ſint res. Secundum ut earum ſit uſus. Tertium uti hæ res uocabula habeãt. Quartum ut habeãt declinatus naturaleis. De primo gradu quod natura ſubeſt, & multitudinis, & ſingularis:

laris: dicimus hi aſſes, hoſce aſſes, hic as, hunc aſſem: contrà quod in numeris finitis multitudinis natura ſingularis non eſt, dicimus hi duo, & hi tres: his duobus, his tribus. Secundo gradu ſi eſt natura, neque eſt uſus, id genus ut ſit diſcriminandum, ut ſit in faba, & id genus. Non enim opus fuit, quæ ut in ſeruis, item ex parte & uniuerſa nominamus. *DESVNT QVAEDAM.*

M. TERENTII VARR.
DE LINGVA LATINA
Liber decimus.

*

Huius libri nihil eſt reliquum.

*

M. TERENTII VARR.
DE LINGVA LATINA
Liber undecimus.

*

Ex Soſipatre libro I. — *Rure ordinatum arbuſtum.*

*

Ex eodem libro — *Horum poëmatorum. His poëmatis.*

*

Ex eodem libro — *Catinuli.*

*

Ex eodem libro — *Git, per omnes caſus.*

*

M. TERENTII VARR.
DE LINGVA LATINA
Liber duodecimus.

*

Huius libri nihil eſt reliquum.

*

M. TERENTII VARR.
DE LINGVA LATINA
Liber tertiusdecimus.

*

Ex Soſipatro, lib. 1. Oliuo, & oſſo.

*

M. TERENTII VARR.
DE LINGVA LATINA
Liber quartusdecimus.

*

Huius libri nihil eſt reliquum.

*

M. TERENTII VARR.
DE LINGVA LATINA
Liber quintusdecimus.

*

Huius libri nihil eſt reliquum.

*

M. TERENTII VARR. DE LINGVA LATINA

Liber ſextusdecimus.

*

Huius libri nihil eſt reliquum.

*

M. TERENTII VARR. DE LINGVA LATINA

Liber ſeptimusdecimus.

*

Huius libri nihil eſt reliquum.

*

M. TERENTII VARR.
DE LINGVA LATINA
Liber octauusdecimus.

*

Quibus nos in hoc libro proinde ut nihil interſit, utemur indiſcriminatim. Ex Nonio Marcello.

*

M. TERENTII VARR.
DE LINGVA LATINA
Liber nonusdecimus.

*

Huius libri nihil eſt reliquum.

*

M. TERENTII VARR. DE LINGVA LATINA

Liber uiceſimus.

*

Huius libri nihil eſt reliquum.

*

M. TERENTII VARR. DE LINGVA LATINA

Liber uiceſimusprimus.

*

Huius Libri nihil eſt reliquum.

*

M. TERENTII VARR. DE LINGVA LATINA

Liber uiceſimusſecundus.

*

Rure ueni. Ex Soſipatro. lib. 1.

*

M. TERENTII VARR. DE LINGVA LATINA

Liber uiceſimus tertius.

*

Huius libri nihil eſt reliquum.

*

M. TERENTII VARR. DE LINGVA LATINA

Liber uiceſimusquartus.

*

Ex Agellio lib.XVI.c. 8. *Prologuium eſt ſententia, in qua nihil deſideratur.*

*

Ex Priſciano lib.x. *Quom inde haurierint.*

*

EX VARRONIS INCERTIS DE LINGVA LATINA LIBRIS.

*

Quare in huiuſmodi locis poni oportet notam in tranſuerſum inter ſyllabas frequentius ad extremum uerſum ſenarium, & ſimiles, ſi pro longa breuem habebunt, ut in hoc: Amicus ſummus meus, & popularis Geta. Rufinus de metris Terētij, ex lib. ad Marcellum.

*

Clauſulas quoque primùm appellatas dicunt, quòd clauderent ſententiam: ut apud Accium: An hæc iam obliti ſunt Phryges? & infrà: Aut in extremum ſenarium totidem ſemipedibus adiectis, fiat comicus quadratus, ut hic: Heri aliquot adoleſcentuli coimus in Piræo. Idem Rufinus ibidē ex VII. ad Marcellū.

*

Semel, minúſne, an bis minus ſit, nō ſat ſcio,
An utrunq; horum, ut quondam audiui dicier,
Ioui ipſi regi noluit concedere.

Agellius. lib. XII. cap. 6. ex II. ad Marcellum.

*

In priore uerbo, graues proſodiæ, quæ fuerunt, manent: reliquæ mutant. Idem libro XVIII. cap. 12. ex ijdem libris.

*

M. Varro æditimum dici oportere cenſet, magis quàm æditum: quòd alterum ſit recenti nouitate factum, alterū antiqua origine incorruptum. Idem lib. XII. cap. 10. ex. II. ad Marcellum.

EX VARRONIS INCERTIS DE LINGVA LATINA *Libris.*

*

Acron in artem poëticã Horatij ex libris ad Marcellum.

Varro ait, quattuor foraminum fuiſſe tibias apud antiquos, & ſeipſum in templo Marſiæ vidiſſe tibias quattuor foraminum.

*

Lactãtius de opificio Dei cap. 5. ex libris ad Ciceronem.

Caput, quòd ab eo capiant initium ſenſus ac nerui.

*

Seruius ad V. & VI. Aeneid. ex iiſdẽ libris.

Iuuenior & ſenior, comparatiui ſunt, per diminutionem: Senior, non ſatis ſenex: iunior, non ſatis iuuenis, uel intra iuuenem: ſicut pauperior, intra pauperem.

*

Donatus in Eunuch. act. IV. ſcæn. 3.

Id præſente legatis omnibus, exercitu, pronunciat.

*

Diomedes Lib. 1. cap. 4.

Fixum.

*

Priſcianus lib. VII.

Talia ex Græco ſumpta, ex maſculino in fœmininum tranſeunt, & A littera finiuntur. ὁ κοχλίας, hæc cochlea: ὁ χάρτης, hæc charta: ὁ γαυσάπης, hæc gauſapa.

MARCI VERTRANII MAVRI LIBELLVS.

De uita M. Varronis.
Déque notis ad eius libros de lingua Latina.

VIRTVTE DVCE, COMITE FORTVNA.

LVGDVNI,
APVD HAEREDES SEB. GRYPHII.
1563.

Cum Priuilegio Regis.

174

M. MAVRVS ANDREÆ PENÆ V. C. Senatori. S.

Q Vamuis amicitiæ tuæ iampridem propiorem nexum cuperem, mihíque optatius nihil eſſet, quàm occaſione data ſignificare quanti ego te, propter ſummam doctrinam tuam, & modeſtiam ſingularem, meritiſſimóque facio, huius tamen generis mallem materiam nondum interueniſſe: quod eſſet, ſi Blæſius Cauletius idem tuus, & idem meus, mortem uitæ non commutaſſet. Illi ego ſummæ probitatis, ſummæq; eloquentiæ uiro, propter eximias eius uirtutes amiciſſimus, & propter ſtudia communia, & artes quas colimus, in cotidiana uita coniunctiſſimus fui: cùm ipſe in me, ex quo primùm huc ex Italia redij, officioſiſſimus eſſet, nullúmque locum laudādi mei, ſed ne ornandi quidem prætermitteret. Et pro ea quæ mihi cum illo familiaritas intercedebat, anno ſuperiore, in agro Taraſconenſi uillíſque ſuis, inter ſermones de literis, quibus ipſe ſe, animúmque ſuum uirtuti conſecrarat, poſt multa de ſtudiis noſtris, in M. Varronis omnium hominum qui ad hunc uſque diem nati ſunt, eruditiſſimi monimenta, rerúmque geſtarum mentionem incidimus. Qua de re ſermones habitos cùm intra paucos dies perſcripſiſſem, ambóque Aquas Sextias rediſſemus, libellum illi de uita rebúſque Varronis communicaui, ſimul & notas Florentiæ & Romæ Pontificiis libris ueteribus collatis, exaratas, quæ meas in Varronem caſtigationes explicarent. Quæ cùm ab illo iam fere publicum accepiſſent, & is ſe mihi pro amico ſuaui, quæ erat hominis humanitas, teſtem honorificum ſtu-

eum ſtudiorum meorum præberet, quod deſiderare uiſus eſt, id ego illi cui nihil negaſſem, facilè, non inuitúſque conceßi. Sed dum liber excuditur, intereà Cauletium ætate florentem, honore conſpicuum, gloria ſplendidum, ſummis & imis iucundũ, ciuibus exteriſque gratioſum immatura mors rapit, quæ tamen non uitæ ornatum, ſicut animam abſtulit. Itaque defuncti cùm apud te maneat aßidua recordatio, inhæreátque oculis imaginis eius memoria, libellum illi deſtinatum ad te philologiæ ſtudioſißimum, Cauletiique amantißimum mitto, ut eo fruare, quo diutinam ipſe cupiebat ſitim explere. Non erit ea res mihi damno, ſi, quod uehemẽter cupio, Varronem relegeris, uitam eius recenſueris, notáſque meas pro tua ſcientia excellenti notaueris. Hoc certè Cauletius noſter de cælo, ſi quis rerum humanarũ ſenſus eſt, quaſi à ſeipſo factum gaudebit. Ego felicia noſtra putabo, ſiue tua manu diſpungantur, ſiue tuo iudicio probentur. Vale. Aquis Sextiis Idib. Octobris. M. IↃ. LXI.

M. VERTRANII MAVRI AD BLAESIVM CAVletium de uita M. Terentij Varronis.

*

MEMINI cùm Taraſcone apud te ſermones inter nos conferremus, homines nonnullos parum tempeſtiuos interueniſſe, qui de Varronis ſtudijs colloquium noſtrum abrupère: cùm tu uelles ex me audire, egoq; auerem dicere, quæ ex autorum uaria lectione, de illius rebus & monumentis comperta iampridem habeo. Eorum nos aduentum animo iniquo paſſi ſumus, qui id in animum induximus, quod C. Plinius uerè credit, maius nullum ſpecimen felicitatis eſſe, quàm ſuper omnes ſcire cupere, qualis uir aliquis fuerit. Quod igitur tum inſtitueram ex ueteri memoria repetere, neque ſum poſteà in congreſſu cotidiano perſecutus, illud nunc ad te, cum meis notis ad Varronem mitto: ut quod olim deſiderare uidebaris, digeſtum habeas: & pariter literarum ſtudioſi ſi quem ex opera noſtra fructum capiunt, eius tibi communicent, quam mihi habituri ſunt gratiam. Etſi uerò M. Varronis & res & uitam ſcribere, eius æqualibus eò facilius quàm nobis fuerit, quòd illi imaginem hominis nobiliſſimi in oculis, eiusq; res præclarè geſtas in memoria haberent, & nos quo interuallo temporum ab illo diſiuncti ſumus, niſi quæ de eo ueteres ſcriptores obiter ſparſimq; dixerunt, nihil quicquam poſſimus philologis communicare; qualecunque tamen eſt quod poſſumus, animo libenti præſtamus. Exemplar autem habemus T. Pomponium Atticum, qui tantùm Terentij noſtri honori tribuit,

dum uterque fama doctrinæ & uirtutis gloria floreret, ut eius ſuperſtitis laudationem conſcriberet, & eam uir minime prompto ad adulationes ingenio, conſiliario & autore M. Tullio publicaret: quemadmodum ipſe Cicero ad illum epiſtolarũ libro XIII. *indicauit. Sed illud encomium, quæq; fuere ſimilia eius recordationis indicia, ſola uetus ætas uidit, cuius incuria factum eſt, ut res non modo recitare, ſed ne patrem quidem Varronis ciere poßimus. Nihilominus tamen intermortuam memoriã uiri omnium gentium, omniumq; ſeculorum facilè principis renouare, & officium erga parentem tot ingeniorum conſeruare, monet pietas: cuius profeßione noſter qualiſqualis hic labor Cauleti, aut laudatus erit, aut excuſatus.*

M. TERENTIVS VARRO *in antiquo genere Terentio, & equeſtri Varronum familia primum à fortuna munus accepit, quòd in ea urbe in lucem editus eſt, in qua domicilium orbis terrarum eſſet imperij, ut eandem & patriam & domũ haberet. Falluntur enim alioſq; fallunt, qui ex hac noſtra Prouincia ortum hunc exiſtimant, quem Romæ natum & altum Pamphilus teſtatur in Chronicis, & libro quarto Ciuitatis Aurelius Auguſtinus. Is educatus in ſinu & indulgentia parentũ (quorum nomen etſi me pudere non debet, certè piget ignorare) per omnem honeſtarum artium cultum pueritiam, adoleſcentiamq; tranſegit. Reuocabat eum ab illecebris corruptelarum, & lenocinijs cupiditatum præter ipſius bonam integramq; naturam, ſtudium ſapientiæ: cuius cauſſa, doctrinis prius imbutus in urbe, quibus puerils ætas impertiri debet in Græciam ſtudiorum ſedem ac magiſtram profectus, Athenis cum alijs adoleſcentibus Romanis Antiochum Aſcalonitam audierat. Quod idoneum maximè*

tempus

tempus habuit, ſtudijs obſequendi ſuis, in eius urbis ſumma doctorum celebritate, cum Romæ in ciuitate bicipiti, animis diſſociatis, alij Syllanis, alij Marianis fauerent partibus, neq; facultas eſſet ſtudioſo adoleſcenti, ex animi ſententia, aut pro dignitate uiuendi, quin partis alterutrius odium & offenſionem incurreret. Sed interea audiendo Antiocho, integrum'ne ſeptennium illud impenderit, quo Romani ſtudiorum cauſſa abeſſe ſolebant, minime mihi compertum eſt. Hoc ſcio, antequam artium inuentrices Athenas peteret Varro, L. Aelium Gallum, quem in albo iuriſprudentum habemus, eius ingenium ſubegiſſe, & poſt reditum, olim iam ſubactum excoluiſſe, atque in reconditiora diſciplinarum induxiſſe. Erat is Lucius Aelius, ut eſt in Ciceronis Bruto, uir egregius, & eques Romanus cumprimis honeſtus, idemq; eruditiſſimus & Græcis literis & Latinis, antiquitatisq; Romanæ & in inuentis rebus & in actis, ſcriptorumq; ueterum literate peritus: qui Varronem ea docuerat, quæ neq; ante eum, neq; poſt eius occaſum à Græcis peti, aut à Latinis poterant: quod extat apud illum Academico lib. primo. Is uero L. Aelius id nomen apud M. Tullium, nec uno in loco tantum habet: quò magis mireris A. Gellium libris Noctium Atticarum quinquies eum commemorantem, ciuitatis doctiſſimum hominem, Varronis magiſtrum, Lælium & L. Lælium nominare. Sed ne pro illo Grammatici ex Suetonio Lanuuinus, aut Præconinus Stilo dicti quoque Lælij, intelligi poſſint, aut debeant, nos locupletiſſimum Ciceronis teſtimonium adiuuat: quare emẽdandos A. Gellij codices in libro primo, ſecundo, tertio, quinto & decimoſexto cenſeo. Ab Aelio igitur Gallo M. Terentius ſcientiam accepit, auctamq; per ſeſe, uir ingenio præſtans, omniq;

doctrina, inquit ille, pluribus & illuſtrioribus literis explicauit. Quam nominis famam ex ſtudijs cõſecutus, retinuit quod eſt difficilimum, ex ſapientia modum: paulatimq́; è ſecretis librorum in medium hominum, & lucem fori progreſſus, cum tempore factus eſt multi, ac uarij & in re literaria, & in republica uſus. Eum cum cauſſas ageret, legimus Murenæ cuiuſpiam aduocatum fuiſſe: & cùm iudicio frequenti Orbilius Beneuentanus Grammaticæ profeſſor teſtimonium pro diuerſa parte dicturus eſſet, interrogatus à Varrone quidnam ageret, & quo artificio uteretur, reſpõdit Orbilius, gibberoſos ſe de ſole in umbram transferre; quòd Murena gibber erat. Tùm ſe primùm Varro ad amicitiam Ciceronis iam in foro nominis fama præſtantis, contulit, leuiter illi anteà ſub Antiocho ex condiſcipulatu notus, deindeq́; ut ſe corroborauit, duæ in eo cauſſæ M. Tullij beneuolentiam auxerunt. Vna quòd cum ingenio nobiliſsimo, nec ſine induſtria uerſabatur in ſtudijs philoſophiæ, quorum maxima uoluptas Ciceronem capiebat. Altera, quòd maturè ſe contulerat in ſocietates publicanorum, in quibus ille maximis damnis hunc noſtrum affectum ait: cauſſa uerò communis ordinis equeſtris Ciceroni commendatiſsimi, fecit eorum amicitiam firmiorem. Deinde uerſatus in utriſque ſubſellijs, Centumuirûm, & Senatus, ſiue in decurijs iudicum, optima & fide & fama, petitioni ſeſe dedit: auctoq́; cenſu Senatorio, honorem honeſtiſsimum exiſtimauit fructum laboris ſui. Itaque ſub quo ſiue pretore, ſiue proconſule, initium honorum à Quæſtura fecerit, de bono autore M. Tullio ſic accepi, Epiſtolarũ ad familiares libro XIII. Varronem M. Bruti quæſtorem fuiſſe: eiuſq́; coniunctionis nomine eum illi Cicero ſatis commendatum arbitra-

tur, cùm commendatitias ſcribit. Sed ipſam Quæſturam qua in prouincia, deindeq́; quo tempore ædilitatem, tribunatum, præturam geſſerit, nihil in ueterum literis inuenio. Huic certè præturam urbanam obueniſſe, ex ipſius ſcripto conijcio, ubi ſe refert ludis Apollinaribus populum de Nonarum Caprotinarum inſtitutione docuiſſe. Erat enim Prætoris urbici ſolenne munus, ludos Apollini dicatos curare, ut eſt apud Caßium, illisq́; præeſſe, & de ratione ſacrorum ad populum uerba facere. Quod ex præſcripto carminum Martij Vatis deſcendit, in quibus ſic ſcriptum fuit,

Apollini cenſeo uouendos ludos
Qui quotannis communiter Apollini fiant:
His ludis faciundis præſit is prætor,
Qui ius populo plebeiq́; dabit ſummum.

Cetera uerò præteriſſe tacitos tot autores, non perinde admiror, quàm eius Conſulatum in temporum & annorum indicibus minime commemorari. Et fuiſſe conſulem Varronem dicere equidem oportet, qui prouinciam florente Republica conſularem obtinuit, eamq́; Ciliciam: quam ipſe libro quarto de lingua Latina, ideo ſuam prouinciam appellat. Proconſuli Terẽtio quæſtor fuit P. Septimius, forte ab ipſa Repub. datus prouinciæ adminiſtrandæ miniſter, & negotiorũ publicorum adiutor: ſed qui eligi aut ſua ſponte moderatior, aut eius inſtitutis & præceptis obſequentior, Varronis iudicio non potuit. Cuius rei coniecturam ex eo capio, quòd Septimius, quem à quodam ueterum ſcriptorum laudatum autorem legiſſe me retineo, ijs ſe literis ab ineũte ætate imbuerat, quæ humaniſsimum eorum amantem reddunt, & hominum optimis artibus eruditorum amantiſsimum. Ad hæc Romani à

maioribus acceperant, proconſulem quæſtori ſuo parentis loco eſſe oportere: nullam neque grauiorem, neque iuſtiorem cauſſam neceſſitudinis poſſe reperiri, quam coniunctionem ſortis, quam prouinciæ, quàm officij, quam publicam muneris ſocietatem. Sic cum Varronem Septimius uelut parentem alterum obſeruaret & coleret, munus ab eo dante & accipiente digniſsimum tres priores de lingua Latina libros accepit. Cæterùm de legato, quem habuerit, non habeo quid ſcribam. Inter comites eius fuit L. Marcius, præfectus fabrûm: & inter apparitores fuit quidam libertus M. Seij, eius & Ciceronis amici: quo quidem Varro etiam pro librario & ſcriba utebatur. Nihil enim doctiſsimo uiro temporis erat à prouincialibus negotijs uacui: quod ipſe ſtudijs ſcribendo, legendo, aut dictando non impenderet: cùm uſus ſcriptionis aut lectionis, non otioſo otio, aut ſcholæ temporibus, ſed negotiorum explicatione, uitæq; ſpatio terminetur. Illo uero tempore fœlicem Ciliciam dicere Cilices, ſeq; beatos prædicare potuerunt, cùm is apud eos ſummam poteſtatem haberet, cui in doctrina, uirtute, atque humanitate percipienda, plurimum à pueritia ſtudij fuiſſet & temporis. Sed de eius ex prouincia deceſsione, nihil accepimus, annuum'ne munus confecerit, an in ea quæſtore relicto, ante confectam iuriſdictionem ex Senatuſconſulto exceſſerit. At certe Romam, non niſi reditui gratulantibus Senatu populoq; Romano uideri debet reuertiſſe. Bonis enim omnibus chariſsimus iucundiſsimusq; Varro, optimates ſui ſtudioſiſsimos habebat, ut qui iam flos ſenatorij ordinis erat, ſenatores, C. Licinium Stolonem, L. Cornelium Merulam, Cn. Tremellium Scropham, Q. Axium, Q. Pinium, Cn. Pompeium Magnum, C. Iulium Cæſarem, Q. Hor-

ten

tenſium, Q. Lucienũ, M. Tullium Ciceronẽ, M. Brutum, Ser. Sulpitium, M. Marcellum, P. Nigidiũ Figulũ, D. Turranium Nigrum, M. Cæliũ Rufum, Oppianicũ, M. Seium, Appium Claudium Pulchrum, Caninium Rebilum, Libonem, Papirium Pætum, & alios: item & equites Romanos, T. Pomponium Atticum, L. Cornelium Balbum, L. Aelium Gallum, Aſinium Pollionem, Oppium, Fircellium Pauonem, Minutium Picam, M. Petronium Paſſerem, Menatem, Murrium, Vactium, Vitulium, Lænatem, Coſsinium, P. Agraſium, C. Agrium philoſophum Socraticum, aliosq; complures, quibuſcum uixit coniunctiſsime. Præter ceteros autem Varronis amantiſsimus C. Fundanius, illi amore pater, ſuauitate frater, affinitate ſocer fuit: cuius filiam Fundaniam caſtiſsimam uirginem ſibi Varro matrimonio coniunxit: ex qua liberos'ne ſuſtulerit, nihil quicquam comperij. Fundania ſanè prudentiſsima diligentiſsimaq; fœmina, in amplificanda re familiari intentiſsima cura id effecit, ut mariti facultates in immenſum creuerint. Habuit enim M. Terentius pecuarias grandes, in Reatino equarias, in Appulia ouiarias: & utrobique latiſsimos fundos, uel ius compaſcuum habuit, ut eius greges qui in Appulia hybernabant, in Reatinis montibus æſtiuarent. Idem poſſedit uillam in Tuſculano, emptam à M. Puppio Piſone: in qua ad bucinam inflatam certo tempore, apri & capreæ ad pabulum conuenire, mira cum uoluptate cernebantur. Aliam uillam habuit in Cumano, in quam ex urbe tanquam ex uinculis euolabat, eò lætior, quòd illi M. Cicero ſtudijs & amicitiæ uetuſtate cõiunctus, uicinus erat. Poſſedit quoque in Pontino, & aliam alibi uillam, quam ſub ipſa bella ciuilia emerat, & de migratione in illam Varroni per literas bene precatur M. Tullius. Fuit illi

præterea uilla ſub Caßino, flumini finitima: in qua Varro animi & delectationis cauſſa conſtituit ornithonis genus, quod acres amatores multos inuenit. In eo dicebatur induſtria artificiumq; longè uiciſſe, non modo archetypum inuentoris M. Lænij Strabonis, ſed etiam magnum illud in Tuſculano ædificium Luculli. Id M. Antonio illicium fuit, quo per uim & iniuriam in M. Varronis, ut inquit Cicero Philip. 11. ſanctißimi atque integerrimi uiri, fundum Caſinatem inuolaret, quamuis ſub haſta illum fundum ueniſſe nemo uidiſſet. In ea uilla ſtudiorum ſuorum Varro diuerſorium eſſe uoluerat, ubi iura populi Romani, monimenta maiorum, omnis ſapientiæ ratio, omnisq; doctrina literis mandabatur. Ex tot autem uillarum annuis reditibus, in uiri facultatibus augendis, & partis opibus tuendis Fundania gratißimã curam adhibebat, fundos emebat, & eos bene coli, fructuoſosq; effici ſolicita diligẽtia curabat. Eam ob rem M. Terentius librum de Agricultura inſcriptum ad eam miſit, Cuius Initio quod eſt, emptum ab illa fundum, ſic accipi debet, ut emptio uiri commodo ceſſerit, & emptus fundus exiſtimetur ex re uiri, quæ ad eã peruenerat. Quod ita conijcere, honeſtatis ratio ſuadet, ut in ſimili caſu Q. Mucius iudicauit. Erat enim donatio inter uirum & uxorem etiam tum prohibita, non legibus, ſed moribus: quemadmodum Plutarchus in Problematis, & Vlpianus ad Sabinum ſcripſerunt. Interea uerò dum ſe optimum in Repub. ciuem, & in re priuata non indiligentem patremfamilias præſtaret Varro, in literis atque in uita fide homo multa, ut inquit A. Gellius, & grauis, eum inter ceteros Xenophontis, Iphicratis, Pyrrhi, Cineæ, Catonis & ſimilium ſcriptorum libros Militares tractaſſe fit ueriſimile. Qui cùm toga magis quàm armis de-

lectą

lectatus, adoleſcentiam in forenſi opera, & imperij tempus in pacata prouincia conſumpſiſſet, ita ut ab eo laus imperatoria non admodum expectanda uideretur, ſe nihilominus incredibili quadam ingenij magnitudine peritum rei militaris legendo, & percontando à peritis cuiuſmodi ducem reddidit, ut Cn. Pompeius, illa diſciplina ſuper humanam & naturam, & fidem euectus, licet complures nec eius rei rudes ſupereſſent, cum Senatoribus alijs tribus & uiginti, quem præficeret claßibus, piratico bello Varronem elegerit. Creuerat enim ad mille naues factio piratarum, qui quadringentis urbibus oppreßis, uaſtata Samothracia, templis per omnes inſulas, oraśq; maritimas direptis, annonæ populi Romani commercium interclyſerant. Illis perſequendis Pompeius factus imperator, cum quingentis nauibus, & peditum centum uiginti, equitumq; quinque millibus, piratas uenatoris inſtar ambiens, maria cum præfectis partitus eſt: ipſe cum alijs purgandum inferum mare, Tuſcum, Sardoum, Siculum, & Africum ſuſcepit: ſuperum, Ionium, Creticum, Aegeum & Pamphyliũ alijs, in quibus erat Varro, tradidit. Vtriq; intra quadraginta dies quàm ex urbe profecti erant, in anguſtias Ciliciæ piratas redegerunt, ibiq; nauali pugna uicerunt. Inter omnes autem ſtrenuum tum ſe uirum præbuit annos quinquaginta natus Varro, qui ceteris & ducibus, & militibus laudem præripiens, primus in hoſtium nauem, ui, armatus tranſiliuit: quo nomine à Pompeio Magno coronam naualẽ accepit, quæ ex auro facta, & quaſi inſignita nauium roſtris, dictaq; roſtrata, ante eum nemini, poſt eum ſoli M. Agrippæ è Siculis ab Auguſto, ad Veſpaſiani tempora tributa fuit. Quam ob rem C. Plinius maior ad æuum ſuum roſtratam coronam maximè cele-

brem libro XVI. *ſcribit. In eam expeditionem proficiſcens cùm ad fauces Adriatici maris, Baſtam opidum & Hydruntem M. Terentius perueniſſet, quà in Græciam, è regione Appoloniæ breuiſsimus eſt tranſitus, interuallũ freti intercurrentis quinquaginta millium, non amplius, pontibus iactis continuare uoluit, poſt Pyrrhum Epiri regem, qui illud primus omnium excogitarat. Sed utrunq; aliæ impediere curæ, inquit ille, libro Naturalis Hiſtoriæ* III. *Etenim Varroni celeriter mandata conficienda, & expeditè piratæ perſequẽdi erant. Per aliquot tamen dies, cùm Græciæ claßibus præeſſet, quemadmodum ipſe ſibi teſtis eſt, inter Delum & Siciliam fuit, nondum cum piratis maritimo prælio commiſſo: ibiq; cum ſuis comitibus, Menate, Murrio, Vactio, Coßinio, Vitulio, Attico, Scropha, Lucieno, Lænate, Pæta, ſiue, ut ego legendum arbitror, Pæto, qui magnas pecuarias habuerunt in Epiro, doctiſsimos ſermones de re pecuaria contulit, quos libro altero Rerũ Ruſticarũ perſcriptos & conſeruatos habemus. Ceterũ nõ ſatis ſcio, de illius profectione, an reuerſione accipi debeat, quod legitur, cũ eſſet Corcyræ exercitus ac claßis, & omnes domus ægrotis ac funeribus repletæ eſſent, immiſſo feneſtris nouis Aquilone, & obſtructis peſtilentibus, ianuaq; permutata, ſuos comites ac familiam incolumes reduxiſſe. In hoc item ambigo, quando fuerit in Arcadia, ubi refert ſpectatam ſuem, quæ præ pinguedine carnis non modo ſurgere non poſſet, ſed etiam in eius corpore ſoricem exeſa carne nidum feciſſe, & mures peperiſſe. Nec certius de tempore quicquam habeo, quo in Lyburnia & in Illyrico fuit, ubi inter opus enixas fæminas uidit puerum referre, quem non tam peperiſſe crederes, ſed inueniſſe. Præterea in hoc hæſito, cùm ſibi ad tibi-*

cinem

cinem Græcum in Lydia ſacrificanti, piſces quidam ſacri, quos capere audebat nemo, gregatim ad extremum littus atque aram uenerunt, in prouinciam ne iret, an ex ea rediret. Illius certè ſpecimen prudentiæ fuit, quod multas terras perambulauit, Græciam & Aſiam imprimis, quæ omnes bonis artibus, doctrinaq; præſtabant, & à quibus humanitas ad alios homines putatur perueniſſe. Domum uero è peregrinatione reuerſus Varro, iis præceptis intentus, quæ Græciæ monimētis diſciplinisq; percepiſſet, neque a ſtudijs ceſſabat, neque ſcripta celabat ſua: erat enim ſolitus dicere, Intemperantis hominis eſſe, ſcribere quod occultari uellet. Communicabat autem familiariter ſtudia cum M. Cicerone, & ante illius exilium, & poſt illius reditum. Dum autem ille fuit abſens, hic diligentiſſime cùm ſua ſponte, tum inſtante Attico, in illius cauſſam incubuit: adeò ut ſua opera Pompeij uoluntatem Ciceroni confirmarit, & de Cæſaris in illum animo magnam fecerit expectationem. Planè quæ fuerat Varroni ſtudiorum communicatio cum M. Tullio, fuerat pariter cum C. Cæſare: ambobus uiris ingenij excellentis, ſermonisq; præter alios ætatis ſuæ caſtiſſimi: item cum Seruio Sulpitio, iuris ciuilis autore, uiro bene literato: & cum P. Nigidio, homine, licet M. Varro in theologicis præcelleret, in communibus literis Romani generis doctiſſimo, ut Seruius meus & A. Gellius retulerunt. Vtrunq; M. Tullius ingenij literarumq; nomine ſummè reueritus eſt: cùm hos duos doctrinarum multiformium, uariarumq; artium, quibus humanitas erudita eſt, culmina, eius ætas haberet: & eius ad utrunq; epiſtolas ſuperſtites habemus. Ex iis una ad Varronem teſtatur, ſemper eum cum Cicerone in luctu fuiſſe, cum uiderent, quam illud ingens malum alterutrius ſiue

Pom

Pompei, ſiue Cæſaris exercitus, ex ducum interitu futurum eſſet: tum uerò extremum malorum omnium ciuilis belli uictoriam. Multò enim ante optimi prudentiſsimiq; ciues tanquam ex aliqua ſpecula, tempeſtatem futuram proſpexerant. Nihilo tamen minus ciuitate ad Pompeium conuerſa, in partem bonorum omnium approbatione florentem, Varro, ciuilibus undis tractus, proconſulis Pompei legatus in Hiſpaniam profectus eſt, cùm Cæſarianum ciuile bellum incidit. Ingraueſcebat iam anno ſexageſimoſexto eius ætas, ut militiæ uacatione frui iure ciuili poſſet, neque quoquam ſe mouere: quippe qui non neſciebat eos in ſua poteſtate non magis eſſe, qui ſe fluctibus ciuilibus commiſiſſent, quàm qui maritimis iactarentur. Sed uir, ut eum Terentianus Maurus libro de Carmine nuncupat, undecunq; doctiſsimus, ita in republica uerſatus, ut ſemper optimarum partium & eſſet & haberetur, in memoria legem Solonis habebat, qui capite ſanxit, ſi quis in ſeditione non alterutrius partis fuiſſet. Quamobrem ueritus Varro ne officio deeſſet ſuo, traiecto ex Italia in Hiſpaniam ulteriorem exercitu, pro eo ac muneris ſui eſſe iudicabat, nomine S. P. Q. Romani legatariam prouinciam animo conſtantiſsimo rexit, quouſque Cæſar Pompeium, uniuerſosq; eius partium Italia expulit. Paulò pòſt cognitis his rebus, quæ fuerant in Italia geſtæ, diffidens Varro Pompeianis partibus, amiciſsimè de Cæſare loquebatur: præoccupatum ſeſe legatione à Pompeio, teneri obſtrictum fide: neceſsitudinem quidem ſibi nihilo minorem cum Cæſare intercedere: neque ſe ignorare quod eſſet officium legati, qui fiduciariam operam obtineret: quæ uires ſuæ, quæ uoluntas erga Cæſarem totius prouinciæ. Hæc omnibus referebat ſermonibus, neq;

ſe

ſe in ullam partem mouebat. Poſteà uerò quàm Cæſarem ad Maſſiliam detineri cognouit, copias Petrei cum exercitu Afranij eſſe coniunctas, magna auxilia conueniſſe, & conſentire omnem citeriorem prouinciam, quæq; poſtea acciderant, de anguſtijs ad Ilerdam rei frumentariæ accepit, uti ad eum inflatius omnia Afranius perſcribebat, ſe quoque ad motum fortunæ mouere cœpit: delectum habuit tota prouincia, legionibus completis duabus, cohortes circiter x x x. *alarias addidit, frumenti magnum numerum coëgit, quod Maſſilienſibus, Afranio, Petreioq; mitteret, & naues longas* x. *Gaditanis ut facerent, imperauit. Complures præterea in Hiſpali faciendas curauit, pecuniam omnem, omniaq; ornamenta ex fano Herculis in opidum Gadeis contulit. Eò ſex cohortes præſidij cauſſa ex prouincia miſit, Caiumq; Gallonium equitem Rom. illò procurandæ hæreditati à Domitio miſſum, opido præfecit, armis omnibus priuatis & publicis in Gallonij domum collatis. Ipſe graues habuit in Cæſarem conciones, quem aduerſa prælia feciſſe, & ab eo magnum numerum militum ad Afranium perfugiſſe, ſæpe in tribunali prædicauit. Quibus uerbis perterritis ciuibus Romanis eius prouinciæ, ſibi ad Rempub adminiſtrandam HS.* c x c. *millia, & argenti pondo* x x. *millia, tritici modios* c x x. *millia polliceri coëgit. Quas Cæſari eſſe amicas ciuitates arbitratus eſt, ijs grauiora onera iniunxit, eoq; præſidia deduxit, & eorũ, qui orationem aduerſus Remp. habuiſſent, bona in publicum addixit. Prouinciam omnem in ſua & Pompei uerba per iuſiurandum adegit. Sub hæc auditis rebus à Cæſare in Hiſpania citeriore geſtis, bellum ipſe in ulteriore parauit. Ratio autem hæc erat belli, ut ſecum duas legiones*

Gadeis conferret, naues frumentumq; ibi omne contineret. Prouinciam enim omnem Cæſari fauere cognouerat. Cæſar cùm conſtituiſſet nullam partem belli in Hiſpanijs relinquere, miſſo cum duabus legionibus Q. Caßio Longino in ulteriorem prouinciā, ipſe cum ſexcentis equitibus magnis itineribus progreditur, edictumq; præmittit, ad quam diem magiſtratus, principesq; ciuitatum ſibi eſſe præſto Cordubæ uellet. Dicto die conuentus per ſe portas Varroni clauſit, ut ipſe Cæſar de bello ciuili Commentario ſecundo ſcriptum habet. Iiſdem diebus Carmonenſis ciuitas tres cohortes à Varrone in arcem opidi præſidio deductas, per ſe eiecit, portaſq; præcluſit. Hoc uerò tum magis cum duabus legionibus properauit Varro, ne itinere aut traiectu intercluderetur. Sed progreſſo ei paulò longius literæ à Gadibus redduntur, Gaditanos principes ſimul ac cognouerant de edicto Cæſaris, à Pompeio cum Tribunis cohortium defeciſſe, conſenſiſſeq; ut Gallonium ex opido expellerent, niſi denuntiato conſilio Gadibus exceßiſſet. Quo peruulgato, altera ex duabus, quæ cum Varrone erant, legionibus, dicta Vernacula, ipſo inſpectante, ex caſtris ſigna ſuſtulit. Eo facto perterritus Varro, cùm itinere conuerſo ſeſe in Italiam uenturum promiſiſſet, certior à ſuis factus eſt præcluſas eſſe portas: tum uerò omni intercluſus itinere ad Cæſarem mittit, paratum ſe eſſe legionem cui iuſſerit, tradere. Ille ad eum Sex. Cæſarem mittit, cui tradita legione, Varro Cordubam ad Cæſarem uenit: relatiſq; ad illum publicis rationibus, cum fide, quod erat penes ſe pecuniæ tradit, & quod ubique habebat frumenti ac nauium oſtendit. Sic tentatis partibus ijs quibus Mars belli communis minime ſucceſſerat, amiſſis Hiſpanijs, legionum mutata uoluntate, urbanis rebus

perdi

perditis, quòd uiro ſapientiſsimo conſilium non eſſet ad deſperatos accedere, nihil quicquam tolerabilius habuit, in quo acquieſceret, quàm ſolitudinem, & locum bello uacuum eligere. Licet enim cùm Pompeius Italia ceſſerat, bonis, & ciuibus & uiris ſol excidiſſe è mundo uideretur, profugere tamen cum illo optimatibus non conueniebat: qui manentes prodeſſe quoad poſſent, deſertæ & oppreſſæ patriæ in eo quod optimum foret, re & conſilio niterentur. Armis itaque conditione poſitis, M. Varro ſubitum diſceſſum, & præcipitem ex Hiſpania profectionem ſibi quouis cõſilio utiliorem eſſe creuit, & in urbem domumq; uenit: non quòd ibi optima uiuendi conditio eſſet, ſed ut tanquam in patria uiueret, ſi aliqua forma Reipublicæ redderetur. Verum ea de re ſpes nulla fuit, urbe ipſa ſine legibus, ſine iudicijs, ſine iure, ſine fide, relicta direptioni & incendijs. Quare nulla res illum Romæ tenuit, niſi expectatio rerum Africanarum: de ijs enim in epiſtola M. Tullij ad Terentium uerſus eſt:

Africa terribili tremit horrida terra tumultu. *Interea Varro deſertus à ceteris delectationibus & uoluptatibus propter Rempublicam, eius euerſæ dolorem ſtudiorum conſolatione minuebat, ſeq; optimarum artium ſcientia ſuſtẽtabat, & recreabat: adeò ut quòd cum libris in priſtina conſuetudine permanſerat, illum quàm ſe Cicero dixerit ſapientiorem fuiſſe. Falſus autem uterque cum alijs quamplurimis magna ſpe rerum Africanarũ, ex urbe exceſsit: & ſicut ſe tùm M. Tullius Attici conſilio in Arpinum abdidit, ſic noſter in fundum Caſsinatem: ne cùm oculi augeant dolorem, interitum rerum & publicarum & ſuarum in urbe intueri cogeretur. Secutis menſibus Cicero Terentium Varronem per literas inuitauit, quò adeſſe*

in

in Tuſculano, uel in Cumano uellet, ut de negotijs utriuſq; communicarent, mutua conſuetudine in fundis uicinis fruerentur, opeq́; & ſolatio ſtudiorum ſenectutem ſolicitudine liberarent. Paucis pòſt diebus Terentius in Tuſculanum uenit, quò cùm ſpatium non fuerit Ciceroni ueniendi, illiusq́; ibi uidendi, hic eſt illum in Cumanum perſecutus: an ſit aſſecutus, neſcio. At in urbem Cicero prius, Varro tardius redijt: cùm tamen utrique imprimis curæ eſſet, ſi minus facilè linguas uitare poſſent, oculos ſaltem hominum effugere. Ex urbe autem Cicero Varroni ſuadebat, quod cenſebat, latendum tantiſper, dum deferueſceret ciuilis uictoriæ gratulatio: & ſimul dum ex uictoris Cæſaris aduẽtu, de illius animo melius, & rerũ exitu conſtaret. Sed erant tùm dulces M. Terentio in Tuſculano latebræ, quòd illis tempeſtatibus propè ſolus, ut inquit ille, eſſet in partu, fructusq́; doctrinæ perciperet eos, qui uerè maximi ſunt, ut ea conſideraret, eaq́; tractaret, quorum & uſus & delectatio eſſet omnibus & actis & uoluptatibus anteponenda. Eam ob rem illos Tuſculanenſes dies inſtar uictoriæ putabat M. Tullius: qui ad Terentium noſtrum ſcribit, ſe, ut ei liceret, ui nulla interpellante, illo modo uiuere, fore libenter opes omnes omnibus conceſſurum. Sub id tempus ex Aegypto & Africa per mare Cæſar ad Italiam aduẽtabat, in Pontinũ exiturus: ea re tum in uilla quadam ſua hoſpitium Varro parauit, Balbo, Oppio & Ciceroni, qui obuiam Cæſari proceſſerant. Hi homines erant, & familiares Cæſaris, ut ſe cognouiſſe ait Cicero, Varronis amantes. Sed Varroni, quòd cum Cæſare iam à multis annis interceſſerat neceſſitudo, illorum gratia fortaſſe opus nihil fuit: neque item ambiſſe eorum ſuffragia uidetur, uir integerrimus, qui fretus conſcientia

conſi

conſiliorum ſuorum, omni culpa uacaret. Secutus enim primùm erat non ſpem, ſed officium: reliquerat autem nõ officium, ſed deſperationem. Quod ideo maximè pono, ne quis Terentij proſcriptionem putet in illa tempora incidiſſe. Cùm enim Cæſaris bello neque huc, neq; illuc partes ſequi licuiſſet, ſi multi poſt eius uictoriam exilio uoluntario affuerunt, neceſſario aut pauci, aut penitus nulli: ijs uidelicet exceptis, qui tam ſui amantes, quàm amentes, Cæſari pro uictis partibus obſtinatè, animoq; inuicto reſtiterant. Hi uerò ſoli ſunt, qui tùm proſcripti in rerum Romanarum ſcriptoribus leguntur: quorum bona cùm ſub haſta uenderet Cæſar, auſus eſt dicere, ſe prædam ſuam uendere. Verùm ex illorum factione noſter Varro minimè fuit, qui ut antea ſolatium, per id tempus ſalutem à ueteribus amicis, id eſt libris ſuis petebat, & conſequebatur. Itaque in otio literarum expectabat, ſi quis eum non modo ut architectum, uerum etiam ut fabrum ad ædificandam Rempub. adhiberet. Ei nanque & M. Tullio illud ſtabat, uolenti uti eorum opera, accurrere: ſin nemo uteretur, tamen & ſcribere, & legere quæ ad ciuitatis rectum ſtatum pertinerent: & ſi minus in curia, atque in foro, at in literis & libris, ut doctiſſimi ueteres fecerant, nauare operam Reipublicæ, & de moribus ac legibus quærere. Quis enim hoc non dediſſet illis, ut cùm eorum opera patria ſiue non poſſet uti, ſiue nollet, ad eam uitam reuerterentur, quam multi docti homines Reipublicæ præpoſuerant? In hoc uno incommodum uidebatur, quòd quemadmodum ſcalarum gradus ſi alios tollas, alios incidas, nonnullos malè hærentes relinquas, ruinæ periculum ſtruas, non aſcenſum pares: ſic tot malis tum uictum, tum fractum ſtudium ſcribendi, uix quidpiam dignum auribus,

aut probabile poterat aſſerre. Adeò tamen animus literis obfirmatus, in ſtudijs moleſtias tempeſtatis calamitoſæ leniuit,ut M. Terentius duodecimam annorum hebdomadem ingreſſus, in primo librorum inſcriptorum Hebdomades,uel de Imaginibus,ſe ad eum diem ſeptuaginta hebdomadas librorum dixerit conſcripſiſſe:id eſt, anno octogeſimoquarto dixit Varro, ſe iam quadringentos & nonaginta libros compoſuiſſe: ex quibus ut A. Gellius refert, libro III. aliquandiu cùm proſcriptus eſſet Varro, direptis bibliothecis ſuis, complures non comparuerunt. Ex illo autem apparet, belliſsimè apud ueteres uſurpatum,ſeneſcentibus membris,eruditorum animos induſtriæ beneficio florem iuuentæ retinere. Sanè Terentius noſter cùm per uarios caſus & rerum diſcrimina ad tempus illud perueniſſet, quo C. Cæſare interfecto, quaſi domino, ciues liberi facti è ſeruis ſibi uidebantur,ſupereſſetq́; Reipublicæ peſtis Antonius, ne facto recuperandæ libertatis creſceret noua fœdiorq́; ſeruitus, prudentiſsimè uerebatur, & ea de re amicos admonebat ſuos. Nam cùm egregius puer Octauius Cæſar ueteranos celeriter conſcripſiſſet, legioneſq́; duæ de exercitu Antonij ad eius ſe autoritatem cõtuliſſent,ſine illo Antonius nihil ſceleris erat, nihil crudelitatis præteriturus. Qua de re cùm ex amici cuiuſdam ſui literis Varro aliquid accepiſſet, Ciceroni communicauit, ſcripſitq́;,ueteranos eos qui reijciebantur (nam pars erat dimiſſa) improbiſsimè loqui,ut qui ab eorum partibus diſſenſiſſent, magno periculo Romæ futuri uiderentur. Ita factum Octauij probabatur Terentio, at conſilium diſplicebat, quaſi is copias non ſatis firmas haberet,quod M.Tullius ad Atticum ſcribit.Super hæc Antonius poſteaquam hoſtis patriæ iudicatus & exul factus fuerat,

fuerat, tandem ab exilio reuerſus, Bruto Caſsioq; ſuperior, iis & Ciceronis amicis capitis periculum, atque uitæ diſcrimen iniecit. Triumuir enim factus Reipublicæ, quam euertit, conſtituendæ, cum Lepido tanto odio in omnes bonos ferebatur, ut CXXX. *ſenatores, & plurimos equites proſcripſerit: quibus licet innocentiſsimis cladis periculum importauit, quòd non cum illo optimates omnes odiſſent, & non ab illo ipſo in ſecundo bello ciuili ſtetiſſent.* Inter *cæteros noſter* Varro *de foro deceſsit: ſed ubi delituerit, nō ſatis ſcio, dum de eius capite & bonis, quam timebat, proſcriptio ferretur.* Tum *autem non tam* Varronem *odibat* Antonius, *quàm eius fundum Caſsinatem amabat, cuius cùm duo domini in ſolidum iure eſſe non poſſent, uetere domino rerum ſuarum poſſeſsione pulſo,* Antonius *fundum per iniuriam, ut ait* Cicero, *inuolauit.* Eo *tempore* Muſarum *ſacraria,* M. Terentij *bibliothecæ direptæ ſunt: quod ipſe libro de* Imaginibus *ſignificauit.* Sed *fuit tandem ille fundus, quaſi pactum pretium* Varronis *reſtituti, cùm illum ex proſcriptorum albo remoueri* Antonius, *induciq; curauit.* Fuit *circiter illa tempora quidam* M. Terentius *tribunus plebis, cuius cum noſtro proſcripto eadem erat appellatio (uno excepto cognomine, inquit* Dio Caſsius *libro* XLVII. *ſed in eo ſibi contrarius, quòd tribunum* Varronem *cognominat: quod ſi uerè ponit, non diſcrepat ob aliud cognomen à noſtro ille* Tribunus) *qui quidem cùm alioqui minimè* Triumuiris *inuiſus eſſet, ueritus ne ſibi idem quod* Cinnæ Caſcæq; *contingeret, eam rem edito ſcripto declarauit, quo maximè facto in ridiculo fuit.* Hic *uerò noſter* Varro *tùm annum ſeptuageſimumquartū agebat, quò minus mihi uidetur ſuum* Tribunatum *in ipſum rerum diſcrimen, de induſtria contuliſſe:*

tuliſſe:ne dicam huius ætatem iure publico excuſatum, & id munus non à ſene decrepito, ſed ab adoleſcente gratioſiſſimo geri ſolitum eſſe. Planè non ſolum in prædicto loco Varronis cognomen apud Caßium perperàm adijcitur, ſed & libro LIII. *ubi Terentius Varro miſſus ab Auguſto Salaſſos deuicit, & libro* LVIII. *cùm* M. *Terentius Varro eques* Rom. *accuſatur, quòd Seianum coluerit. Vtrobique alius ab hoc noſtro ex temporum ratione Terentius uideri debet: & ne poſteriore loco prolatus huius filius eſſe uideatur, facit, quòd ille patrem ſuum dicit cum* L. *Aelio Seiano præfectum fuiſſe prætorio Tiberij Cæſaris, ut eſt in eius oratione, libro quinto Annal.* P. *Taciti. Quæ à Xylandro interprete Caßij fido & diligente non animaduerſa, aut prætermiſſa in eius Notis ualde miror. Verùm ut ex diuerticulo redeamus iam in uiam: mortuo in Aegypto Antonio, illius uitæ Varro remanſit ſuperſtes. Qui proprijs uirtutibus & Attici amicitia Octauio Cæſari chariſſimus, ſuam fortunã ab omni periculo tutam quamuis in Republica habere poſſet, maluit tamen potius quietam & honorificam ſenectutem, quàm ſolicitam agere. Illo igitur cum amicis intento imperio conſtituendo, formandæq́; nouæ Reipublicæ; hic in literis omne otium tempusq́; contriuit, qui conſcribendis nouis, & politius limandis editis iam ingenij ſui monumentis, tantum operis laborisq́; ſuſtinuit, ut ad ea quæ ſcripſit penitus cognoſcenda, longiſſima uita ſit opus. Quamobrem de illo uerißimè* M. *Valerius libro Memorabilium* VIII. *ſic ſcripſit: Terentius Varro humanæ uitæ exemplo & ſpatio nominandus, nõ annis, quibus ſeculi tempus æquauit, quàm ſtylo uiuacior fuit. In eodẽ enim lectulo & ſpiritus eius, & egregiorum operum curſus extinctus eſt.*

Migr

Migraſſet profectò ex hominibus inertia, ſi quo ille animo egreſſus eſt, eo uitam omnes ingrederentur. Is enim re ipſa ſicut ille Cato librorum helluo oſtendit, alijs tempora deeſſe, alios temporibus ſupereſſe. Ideo ut ne extrema quidem eius hora agitatione ſtudij uacua eſſet, in lectulo ſuo compoſitus, morti uicinus ſcriptitabat, illudq́; fortaſſe exarabat opus, de quo C. Plinius libro XXIX. cap. 4. ait, ſcire ſe M. Varronē octogeſimooctauo uitæ anno prodidiſſe, aſpidum ictus efficaciſſimè curari, hauſta à percuſſis ipſorum urina. Itaque natus Varro L. Cæcilio Metello, Q. Mucio Scæuola Coſſ. anno, ut autor eſt Euſebius, primo Olympiad. CLXVI. poſt annos duodenonaginta uita exceſſit, Olympiade, ut ille ſupputat, CLXXXVIII. anno itidem primo, Cæſare Octauio V. Sex. Appuleio Coſſ. Quòd ſi habitum corporis eius poſteri ſcire deſiderant, ægrè moleſteq́; fero, eorum deſiderio ſatis me facere non poſſe. Hoc enim ſolum inueni, fuiſſe eum uigilacem hominem, qui tamen, ut plerique omnes faciunt, inſitio ſomno diem æſtate diuidere ſolebat. Porrò Aſinius ille Pollio, qui hominum ingenia Rempublicam ſuo inuento fecit, ne contra uirum ex omni memoria doctiſſimum, uetuſtas æui ualeret, M. Varronis adhuc uiuentis poſuit imaginem in bibliotheca illa, quam primus Romæ ex manubijs dedicauit. Gloria uero eius, cùm in ſuperſtitem maximè ualet inuidia, tùm non exigua fuit, inquit Plinius libro VII. principe, oratore, & ciue, ex illa temporis eius ingeniorum multitudine, huic uni coronam dante: uti ei, qui nomen antè Q. Valerio Sorano honoris cauſſa tributum, meritiſſimè poſt illum habebat, quo togatorum doctiſſimus ut erat, dicebatur. Et id quidem munus Pollionis, natum mortalem hominem quaſi immortalitate donaturi.

niſi dijs,ut tùm ſentiebant, inuidioſum fuiſſet, noſtri,opinor,Varronis figura in urbe uideretur. Imagines etenim, quæ cera primùm uultus oraq́; exprimebant, & nouitio inuento,nõ ſolum ex auro argentóue,ſed ex ære & marmore fictæ pictæq́; ſunt,per armaria ſingula diſpoſitæ, in bibliothecis dicabantur:ut eorum effigies ſtudioſus intueretur, quorum animæ immortales in iiſdem locis loquebantur. Sed uiſum eſt ſuperis fore melius ut M.Varro tot tantisq́; præclarè ſcriptis, potius de ingenio, quàm de facie à poſteritate noſceretur: qui χαλκέντερος quaſi ænea inteſtina habens,cognominari potuit tam æquo iure, atq́; Didymus ille,quem admirabili ſtudio, legendiq́; & ſcribendi aſſiduitate, tria millia & quingentos libros accepimus edidiſſe. Quòd ſi Græcos Terentius in numero librorum non æquauit, Latinos ſaltem in hoc genere uicit omnes: tàm enim multa ſcripſit, quàm multa uix quenquã legere potuiſſe credamus, tamq́; multa legit, ut aliquid ei ſcribere uacaſſe miremur. Qualia autem ea ſcripta fuerint, M.Tullij uerbis,quàm meis malo dicere, ex eius ad Varronem libro primo Academicarum Quæſtionum: Nos,inquit,in noſtra urbe peregrinantes, erranteſq́; tanquam hoſpites,tui libri quaſi domum deduxerunt:ut poſſemus aliquando qui & ubi eſſemus agnoſcere. Tu ætatem patriæ,tu deſcriptiones temporum,tu ſacrorum iura, tu ſacerdotum,tu domeſticam, tu bellicam diſciplinam, tu ſedem regionum, locorum,tu omnium diuinarum humanarumq́; rerum nomina,genera, officia, cauſſas aperuiſti: plurimumq́; poëtis noſtris, omninoq́; Latinis & literis luminis attuliſti, & uerbis:atque ipſe & uarium & elegans omni ferè numero poëma feciſti: philoſophiamq́; multis locis inchoaſti, ad impellendum ſatis, ad docendum parum.

parum. Idem illi honorificum Academicis libris qui perierе, perhibuit teſtimonium: dixitq́; eam, quæ ibi uerſatur, diſputationem ſe habuiſſe cum M. Varrone, homine omnium facilè acutiſſimo, & ſine ulla dubitatione doctiſſimo. Non ait eloquentiſſimo, uel facundiſſimo: quoniam re uera in hac facultate multum impar erat: ſed omnium, inquit, facilè acutiſſimo. Et in ijs libris, ubi cuncta dubitanda eſſe contendit, addidit, ſine ulla dubitatione doctiſſimo. Profectò de hac re ſic erat certus, ut auferret dubitationē, quam ſolet in omnibus adhibere: tanquam in hoc uno, etiam pro Academicorum dubitatione diſputaturus, ſe Academicum fuiſſet oblitus. Quod minime mirum uideri debet, cùm illi tantum Cicero tribuerit, ut & uultum illius in ſuis ſcriptis quid amplius quærentis ſibi uidere uideretur, & iudicium Varronis imprimis pertimeſceret: quòd erat ut ille dicit, Δεινὸς ἀνὴρ τάχα κεν καὶ ἀναίτιον αἰτιόῳτο, uir grauis, & fortaſſe inſontem accuſaturus. Quæ uerba, pro ea quæ fuit inter illos amicitia, non Varroni culpando calumniæ dicta uideri debent, ſed potius profecta ab animo admiratione capto, qui unius ex omnibus, eius cenſuram maximè uerebatur. Erat autem etiam tùm ipſe M. Tullius multus in Varronianis ſcriptis euoluendis, quod epiſtola quadam ad Atticum indicat. Atticus enim in libraria ſua Varronis libros habebat, illa ut ſibi pateret, ab Attico abſente per literas Cicero petijt, cùm ei utendum ijs libris quibuſdam in rebus eſſet, ad eos quos in manibus habebat. Cæterùm quod Atticus ad Ciceronem ſcripſit, ſe intellexiſſe Varronem illius libros deſiderare, & magni æſtimare, illosq́; ei dari periculo iuſſit ſuo, fecit ut Cicero ſe uinci, non tamen ſine difficultate pateretur. Aliquantum enim in eo ſubſtitit Cicero, quòd illum nun-

quàm homo πολυγραφώτατος laceßiſſet, ſi eius librorum deſiderio tenebatur. Ad hæc, de Varrone uiro Romanorum *eruditiſsimo* M. Fabius Quintilianus *libro* x. *inquit*, Plurimos hic libros & doctiſsimos compoſuit, peritiſsimus linguæ Latinæ, & omnis antiquitatis, & rerũ Græcarum, noſtrarumq́; plus tamen ſcientiæ collaturus, quàm eloquentiæ. Idemq́; de eodem dixit libro XII. *Quàm multa, imò pœnè omnia tradidit* Varro? Præterea concinit *his* Plutarchus, *apud quem legitur in* Romulo, Varro *philoſophus, uir* Romanus, *& hiſtoriarum monumentis peritiſsimus. Eôdem ſpectat de illo* L. Cœlij Lactantij *teſtimonium, cùm libro primo* Inſtitutionum *ait*, M. Varrone *neminem unquam doctiorem, ne apud Græcos quidem, nedum apud* Latinos *uixiſſe.* Quæ *doctiſsimorum hominum de illo teſtimonia honorificentiora ſunt, quàm ut quis debeat* Q. Rhemmij Palæmonis *oblocutione cõmoueri.* Is *enim arrogantiæ fuit tantæ, ut* M. Varronem *porcum appellaret: ſecum & natas & morituras literas iactaret.* Sed *uir uitijs omnibus infamis maledicere facile peccatorum conſuetudine potuit, benefacere, non item: ſic neque quod de ſe pollicebatur, præſtitit, neque ſe, quin per inuidiam principes uiros inſectaretur, abſtinuit.* Quare *meritiſsimò literatoris eius memoria deleta eſt,* M. Varronis, *qui* Latinas *literas &* Latiniores *& literatiores effecit, uirtus, nec obliuione eorum, qui cum eo uixere, nec poſteriorum reticentia poterit aboleri.* Sacroſancta *uerò huius autoris recordatio, certaq́; reuerentia, quàm eius memoriæ præſtamus, ſuadet, ut ſi non corpus ſcriptorũ quẽadmodum uellemus, at certè eorum reliquias, ſi qua ratione poſſumus, ab iniuria obliuionis aſſeramus.* Itaq́; *qui ſequuntur libri* Varronis, *ex* M. Tullij, A. Gellij, Sex. Pompei, Nonij

Marcelli, Fulgentij, Cœlij Lactantij, Seruij Mauri, Macrobij, Aurelij Auguſtini, Acronis, Porphyrionis, Priſcianiq́; uaria lectione a nobis obſeruati ſunt, hiq́; ferè ANTIQVITATVM *libri quadraginta & unus, opere tamen in duo uolumina diſpertito. Licet enim ipſe Terentius de lingua Latina libro quinto libros Antiquitatū, numero nullo addito, recenſeat, & Pōpeius Feſtus libro undecimo; id breuitatis gratia factum eſt, cùm ſit aliter apud alios. Fuit igitur opus illud in res humanas diuinasq́; diuiſum, ut refert Auguſtinus Ciuitatis libro ſexto, cap. 3. Alterum uolumen inſcriptum fuit titulo* RERVM HVMANARVM, *quod Plinius libro decimotertio nuncupat Humanarum antiquitatum. De ijs fuere libri* XXVI. *quorum ſenos Varro quatuor dedit partibus. Sex primis de hominibus, ſecundis ſex de locis, tertijs ſex, de temporibus ſcripſit: ſex quartos eoſdemq́; poſtremos de rebus abſoluit. Vnus autem ſingularis ante illos omnes in capite poſitus erat; qui prius communiter de omnibus loqueretur. Sed amplius de ijs ex Macrobio obſeruatum habeo, unumquenque de ſenis libris illis proprio nomine inſcriptum fuiſſe: ſic Varronis rerum humanarum liber à decimotertio ad decimumnonum fuit ſcriptus,* DE DIEBVS: *item alter à decimonono ad uiceſimumquintum, fuit inſcriptus* DE BELLO ET PACE. *Alterum uolumen C. Cæſari Pont. Maximo dedicatum, titulum habuit* RERVM DIVINARVM: *quod poſt ſcriptionem de rebus humanis autor aggreſſus eſt, de induſtria: quoniā ſicut prior eſt, inquit, pictor quàm tabula picta, prior faber quàm ædificiū, ita priores ſunt ciuitates, quàm ea quæ à ciuitatibus ſunt inſtituta. Quare in illis Varro, ut aliquid tandem de eius pietate dicam, ſcire ſe profeſſus eſt, deo-*

rum colendorum ſuperſtitionem Romanos inueniſſe, ſe uerò iudicio ſuo cultum illorum minime ſecutum, ſed ſuæ ciuitatis moribus ac legibus oppreſſum fuiſſe. Deum arbitrabatur animam eſſe mundi, ſed & hunc ipſum mundum eſſe deum: illum uerò nominis alterius penuria Iouem *appellabat, neſciens, inquit* Aurelius, *quid loqueretur. Creatum præterea mundum, & ratione ſeculorum à fide noſtra, literisq; diuinis non abhorrente, exiſtimabat, ut eſt apud illum, Ciuitatis libro decimooctauo, cap.* 40. *Idem cùm didiciſſet antiquos* Romanos *pluſquàm annos cētum & ſeptuaginta deos ſine ſimulachro coluiſſe, id ſi adhuc manſiſſet, inquit, caſtius dij obſeruarentur: & poſteà relato* Iudæorum *exemplo, inquit, Qui primi ſimulachra deorum populis poſuerunt, ciuitatibus ſuis & metum dempſerunt, & errorem addiderunt.* In quo quis non uideat quantum propinquauerit ueritati? *ait* Auguſtinus. *Idem fabulis & figmentis aduerſus deos fidem non adhibebat, ne de eorum maieſtate indignum aliquid ſentiret. Conſilium tamen* Romanorum *neſcio an opera conſulta prodidit, ubi loquens de religione dixit, multa eſſe uera, quæ non modò ſcire uulgo non ſit utile, ſed etiam tametſi falſa ſint, aliter exiſtimare populum expediat. Similiter aliquando auſus eſt* Varro *pontificibus exprobrare, eſſe in dijs ac religionibus complura, quæ illos laterent, quæq; omnia ipſe aperuiſſet & declaraſſet. Amplius quoq; cùm timeret, ne dij* Romanorum *non hoſtium incurſu, ſed ciuium negligentia perirent, ab ea uelut ruina liberari illos à ſe dixit, & in memoria bonorum per huiuſmodi libros recondi atque ſeruari, illudq; ſe ciuibus ſuis pro ingenti beneficio præſtare. Cùm autem de dijs ſupradicta ſentiret, hominē quiddam eſſe tertium ex corpore & animo cen-*

ſuit,

fuit, in eo ſectator Antiochi & ueteris academiæ: eiuſq; ſummum bonum ex corporis animiq; bonis cõſtare, quod in ipſa uirtute & ſentiretur & cerneretur. Idem ex tribus uitæ generibus, otioſo, actuoſo, & miſto, tertium hoc ex prioribus compoſitum ſibi placere adſeuerabat: deq; bonorum & malorum finibus nullo modo dubitandum eſſe dicebat, ut refert Auguſtinus Ciuitatis libro decimonono, cap. 3. Explicauit autẽ Varro theologiam Romanæ ciuitatis illis XVI. libris. Nam totius operis initio unico libro poſito, qui de omnibus tractaret, ſequentes tres priores ſcripti ſunt DE HOMINIBVS, alteri tres DE LOCIS, tertij DE TEMPORIBVS, quarti DE SACRIS, ut ſciretur qui, ubi, quando, & ſacra Dijs exhiberent. Sed quia dicere oportebat quibus exhiberent, de Dijs fuere tres extremi libri eius operis: antepenultimus, DE DIIS CERTIS, penultimus DE DIIS INCERTIS, ultimus DE DIIS SELECTIS, ut eſt apud illum in VII. Ciuitatis. Erat item & cæterorũ librorum quiſque proprio donatus nomine, ut indicat Macrobius, ubi Rerum diuinarum librum ſextum profert, & appellat DE SACRIS ÆDIBVS. Quibus quidem libris ea tractauit Terentius, quæ curioſius nemo quæſiuit, inuenit doctius, conſiderauit attentius, diſtinxit acutius, diligentius pleniuſ'ue conſcripſit, inquit Auguſtinus libro de Ciuitate VI. Præterea extra uolumen Antiquitatum ſcripſit Varro DE CVLTV DEORVM libellum, in quo uerſus quoſdam Q. Sorani expoſuit, illeq; refert libro VII. cap. 9. DE VITA POPVLI ROMANI libri quatuor apud Nonium proferuntur, qui in mendoſis codicibus de uita patrum appellabantur. DE TRIBVBVS inſcripti quoque libri

fue

fuerunt: quot uerò, non ſatis ſcio: eorum ipſe Varro libro quarto de lingua Latina meminit. Item DE AVGVRIBVS, ſed ſine numero libri Varronis commemorantur à Macrobio. HEBDOMADES uel DE IMAGINIBVS quoque eiuſdem fuere, diſtinctæ in libros aliquot: & niſi fallor, ſeptem, eorumq; primus recitatur apud A. Gellium. In quibus M. Terentius benigniſſimo ſanè inuento, uoluminum ſuorum fœcunditati inſeruit, non nomina tantum ſeptingentorum illuſtrium, ſed & eorum aliquo modo imagines: ne pateretur intercidere figuras, aut uetuſtatem æui contra homines ualere. Quæ muneris inuentione dijs etiam inuidioſus dicitur fuiſſe, quemadmodũ libro XXXV. C. Plinius ſcribit, quoniam immortalitatem non ſolum dedit, uerum etiam in omnes terras miſit, ut præſentes eſſe ubiq; & claudi poſſent. Inde eſt quòd Varro Hebdomadum, ſub imagine Demetrij laudatur, nullius libri iacta mentione. Addo DE PROPRIETATE SCRIPTORVM; item DE COMOEDIIS PLAVTINIS libros à Macrobio & A. Gellio ſine numero citari. Item ab illo AD LIBONEM libros, quos neſcias ut inſcripſit, quáue de re ſcripti fuerint. DE GENTE POPVLI ROMANI eiuſdem quoque memorantur δ βιβλία, in quibus quid à quaq; gente fuerit inductum, ſcripſit, fabulaſq; eas, quæ ad bellũ uſq; Troianum celebratæ fuerant, ab operis initio ad extremum librum ſecundum tractauit, ut retulit Auguſtinus de ciuitate Dei libro decimooctauo, cap. 2. & libro uiceſimoprimo, cap. 8. Ad hæc Seruius meus ter ad Vergilium uſus eſt horum librorum teſtimonio. Præterea ſunt apud Fulgentium libello de obſcuris Varronianis libri DE PONTIFICALIBVS, item & libri MYSTAGOGORVM:

RVM: ij conſimiles titulo libris illis L. Cincij Mimentij, quorum alterum profert Sext. Pompeius libro XVIII. Citatur quoq; Varro ab A. Gellio ex libro tertio PLAVTINARVM QVÆSTIONVM, item ex eo DE COMPOSITIONE SATYRARVM, item ex primo DE POETIS, quem quot libri ſequerentur, non poſſumus diuinare. Amplius meminit A. Gellius εἰσαγωγικοῦ commentarij ad Cn. Pompeium DE OFFICIO SENATVS HABENDI: ſed is liber ſuperſtite Terentio excidit, quemadmodum ipſe ad Oppianicum ſcribit, libro, ut ille refert EPISTOLICARVM QVÆSTIONVM quarto: huius tamen generis librum quintum producit Sext. Pompeius. Sed & alij Varronis libri ab A. Gellio adducuntur, tres DE SCÆNICIS ORIGINIBVS. Apud Nonium mentio eſt libri octaui DISCIPLINARVM: in quibus ne altiores tractatas putem diſciplinas, quas ueteres Græci μαθήματα appellauerunt, facit quòd illæ ſolæ ſunt quatuor, Geometria, Muſica, Arithmetica, & Aſtrologia: at uerò DE GEOMETRIA liber Varronis ad M. Cælium Rufum, ab opere diſciplinarum ſeparatus extitit, quem Frontinus de limitibus agrorum producit. Item DE ARITHMETICA libellus eiuſdem eſt hodie quoque ſuperſtes, diuinitus à M. Varrone ſcriptus, ubi ſunt omnia ab illo profecta: cum nos Romæ cum P. Fabro, Augerioq; Ferrario uiris doctis amicisq; noſtris ex bibliotheca Rudolphi Cardinalis aſſeruatum apud Laurentem Stroſſium Cardinalem uidimus. Fuerunt autem noſtri Varronis etiā libri ΠΕΡΙ ΠΛΟΥΤΟΥ: quorum primus à Nonio citatur, item & ſecundus: at hic loco deprauato in libris quos habeo, dicitur corruptiſſimè περὶ πλους: an tamen ſu-

pra

pra ſecundum alij fuerint libri, id ſciri à nobis non poteſt. DE RERVM NATVRA *Marcellus quoque librum tertium recitat, quem uerſu ſcriptum, ut totum illud opus, Lactantio credere debemus.* Is enim libro II. *Inſtitutionum, cap. 13. teſtis eſt, Lucretium & Varronem apud Romanos uerſibus de rerũ natura, ut* Empedoclem *apud Græcos ſcripſiſſe.* Item *ſunt apud illum Varronis prolati libri* XX. REIPVBLICÆ, *in quo exemplarium eſt apud me ualde ſuſpecta fides: ut & quo loco producitur decimusnonus* RHETORICORVM, *ibi nanque malim legere* THEOLOGICORVM: *cuiuſmodi commentarios* Dionyſius Halicarnaſſeus *citat* Antiquitatum *libro quarto: idem qui libro primo Varronem ætatis ſuæ doctiſſimum appellauit.* Accedit *ad prædictos libros ſingularis* DE PHILOSOPHIA, *cuius epigraphe alijs Græca eſt, ſed* Auguſtinus *Latinam profert libro decimonono Ciuitatis, cap. 1.* Item *accedit* EPISTOLARVM, *ut ego arbitror,* συναγωγῆ, *quæ neſcio quot in libros diſtributa fuerit.* M. Terentius *ad Atticum, Tullium, Turranium frequentes literas miſit: citatur autem à* Nonio EX EPISTOLA AD CÆSAREM, & AD SERVIVM SVLPITIVM, & AD FVSIVM, & AD FABIVM, & AD MARSILIVM: *item ex* EPISTOLA AD VARRONEM, *quem ego quis fuerit ignoro: niſi ſit quòd in uolumine* Epiſtolarum *Varronis fuerit alterius cuiuſdam ad hunc noſtrum interpoſita epiſtola: qualiter accipi debet apud Marcellum, quòd laudatur autor Varro* EX EPISTOLA IVLII CÆSARIS. *Et quidem à* Nonio *profertur ex libro ſecũdo* EPISTOLA LATINA, *ita uerò ipſe autor ad Græcarum epiſtolarum diſcrimen an poſuerit, quid'ue in*

eo

eo opere tractauerit, hariolari minime poſſum. Dixit autem de ſe in Marcipore, ſe ſcripſiſſe epiſtolas à doctrinis, de peregrinando & uigilia. Super hæc ab illo profertur, ſine addito Varronis EPISTOLA, *quæ interſeri debuiſſe Satyris, quas enumerabo, quibuſdã fortè uidebitur: ſed magis puto fuiſſe librum illum Titinij Varronis, quem ex Epiſtola Pompeius Feſtus libro* XVII. *autorem habet. Eidem quoque exiſtimo tribuendam Setinam apud Marcellũ, ubi uulgò legitur, Varro libro primo Hui Cedina. Sanè Feſtus non ſemel Titinij Setinã producit, ut illi quod eſt corruptum in Nonianis libris, eò libentius addicas. Verùm & prædicto loco, & in alio ubi legitur, Varro Reopte facere, ex uitio ſcripturæ nata difficultas ita mihi ſcribenti manuum iniecit, ut de eorum reſtitutione nihil ſpei ſit reliquum. Viderint qui felicius ingenium, & libros emendatiores habent. Varronianis autẽ enumeratis libris addo ſingularem, quẽ* DE ÆSTVARIIS *feciſſe ſe idem Varro libro octauo de lingua Latina ſcripſit. Ad hunc ordinem Cicero libro* XV. *ad Atticum, refert* ἩΡΑΚΛΕΙΔΙΟΝ, *quod ait probare ſe, cùm Atticus illo tantopere delectaretur: deq; eodem ad eundem libro* XVI. *ait negotia ſalſa. Illud uerò Heraclideum quale fuerit opus, incompertum eſt. Nec amplius quicquam habeo quod dicam de* ΠΕΠΛΟΓΡΑΦΙΑ *Varronis, niſi quod eam Pomponio probari, Cicero ſcripſit ſe non moleſtè ferre. Subuereor tamen ne ſub Græca appellatione M. Tullius libros Terentij de gente populi Romani intellexerit, in quibus quid eſſet à quaque gente inuentum factum'ue exponebat Varro. Eodem enim titulo Ariſtotelis commentarius olim extabat, in quo ducum genus, & nauium ad Troiam catalogum exequebatur. Quod*

ſi ad

ſi ad libros de Gente nõ reſpexit, fortaſſe ita Varro Græce inſcripſit librum ex Hiſtoricis ſuis, ni fallor, DE FAMILIIS TROIANIS: ſolenne etenim illi & alijs compluribus fuit dupliciter, etiam Latinè, uel Græcè & Latinè libros ſuos inſcribere. Hunc uerò de familijs librum Seruius noſter ad Vergilium Varroni adſcribit. Huic addo ex A. Gellij teſtimonio Hiſtoricum alium, cui titulus erat, CATVS. Eiuſdem fuiſſe generis arbitror, libellum DE ADMIRANDIS REBVS, quem Seruius appellat MIRABILIVM. Nonius habet relata quædam ex PRO GALLO uel FVNDANIO DE MIRIS, quaſi una fuerit inſcriptio. Sed nec utriuſque nomine liber inſcriptus, neque utrique pariter dicatus uideri poteſt: quare potius in hoc hæſerim, an non is locus Nonij deprauatus ſit. Apud illum autem in librorum Epigraphis, & alijs etiam partibus, tam frequenter peccatum eſt, ut minime nos debeant menda huiuſcemodi perturbare. Fuerunt autem tres proximè enumerati libri cum alijs compluribus, uno uolumine incluſi, & generali nomine inſcripti HISTORICI. Diuerſi ab illis alij ſanè fuere ex A. Gellij teſtimonio, dicti LOGISTORICI: cuius generis eſt liber ſuperſcriptus apud illum CAPYS uel DE LIBERIS EDVCANDIS: licet apud Nonium pro Varroniano adducatur CATO uel DE LIB. EDVC. opere in duos libros diſtincto. Ab hoc præterea laudatur autor Varro libelli inſcripti ΠΕΡΙ ΠΑΙΔΟΠΟΙΪΑΣ, qui argumenti à ſupradicto non diſsimilis, & eiuſdem uoluminis fuiſſe uidetur, nempe logiſtoricus: cùm hic tam rectè de liberis procreandis tractauerit, quã ille de procreatis educandis. Quibus non ſatis ſcio an debeant connumerari hi quoque libri, PAPPVS,

ſeu DE

ſeu DE INDIGITAMENTIS, *à Nonio Marcello prolatus, &* ORESTES, *uel* DE INSANIA, *qui ab A. Gellio cum ſequentibus adducitur,* SISENNA, *ſeu* DE HISTORIA, PIVS *uel* DE PACE, MARIVS *ſeu* DE FORTVNA, *qui & à Marcello citatur* ΠΕΡΙ ΤΥΧΗΣ. *Sed operæpretium eſt Satyras recenſere, quæ inter M. Terentij ſcripta uerborum elegantia, copia rerum, grauitateq́; ſentẽtiarum primum ſibi locum uindicabant. Eas noſter Varro Socraticum Menippum æmulatus, pluribus libris ſcripſit: eamq́; ob rem quidam Cynicas, ipſe Menippeias appellauit. De quibus quædam oratione proſa, & quædam uerſu ſcriptæ fuere, ſed quæ nunc inter ſe ita diſcerni nõ poſſunt, ut leo ex unguibus: ſi quod tamen ueſtigium ſcriptionis index ſuberit, ex quo librum carmine aut oratione ſoluta editum oſtendere poßim, id ſuo loco tacitus non præteribo. Fuerunt autem ex Satyris libri qui ſequuntur, commemorati apud Nonium:* VÆ VICTIS, *ſiue* ΠΕΡΙ ΦΙΛΟΝΕΙΚΙΑΣ: *mendum uerò ex Macrobij ſuffragio in Nonij libris ſuſtuli, in quibus dicitur hæc Satyra* DE VICTIS, *quod non placet. Adde* DE LEGE MENIA, *item* VINALIA *ſiue* ΠΕΡΙ ΑΦΡΟΔΙΣΙΩΝ, *item* EVDÆMONES, *qualiter apud Nonium legendum eſt, nõ ut uulgus habet,* EVDIMIONES. *Eiuſdem generis librorum* QVINQVATRIA, *item* EPHEMERIS, *item* ECCLESIA, *item* ΠΕΡΙ ΦΘΟΡΑΣ ΚΟΣΜΟΥ, *qui fuit de interitu mundi: at cuius loco mendosè apud illum citatur Varro ex Coſmotoria, mendoſius ex Coſmoterone, & mendoſiſsimè ex Coſmoterino. Accedit eidem ordini Satyra* TESTAMENTVM, *uel* ΠΕΡΙ ΔΙΑΤΙΚΗΣ, *item* MARCIPOR,

POR, *item* ΕΘΟΣ Ἢ ΝΟΜΟΣ, *item* ANTIQVOTECTI, *item* ANDABATÆ, *item*, HIPPOCION, *item*, MELEAGRI, *item*, EVMENIDES, *item* VIRGVLA DIVINA, *quam & Horatij Flacci interpretes protulerunt. Superioribus adde Satyras inſcriptas*, SESQVIVLYSSES, *item* ΓΕΡΟΝΔΙΔΑΣΚΑΛΟΣ, *item* COLVMNA HERCVLIS, *item* HERCVLES SOCRATICVS, *item* SERANVS, *ſeu* ΠΕΡΙ ΑΡΧΕΡΕΣΙΩΝ, *in quo tamen uereor ne codices Noniani de Græco titulo fallant ſtudioſum. Similiter Latina inſcriptio apud me ſuſpecta eſt, ubi citatur* MODVS EST MATVLÆ *ſiue* ΠΕΡΙ ΜΕΘΗΣ: *idem enim Varroni librum adſcribit, ſuperſcriptū*, NON EST MODVS MATVLÆ. *His proximus fuit liber* DE LVDIS THEATRALIBVS, *item* DE GRADIBVS, *quæ Seruius noſter ad Virgilium producit, de quibus tamen liquido nō iurauerim fuerint ne à Varrone inter Satyras conſcripti*. De *ijs non dubito*, ΠΕΡΙ ΚΕΡΑΥΝΟΥ, *item* ΟΝΟΣ ΠΡΟΣ ΑΥΡΑΣ, *item* BIMACHVS *uel* ΠΕΡΙ ΚΑΤΑΚΡΙΣΙΣ, *qui & aliàs Græcè inſcriptus refertur, neſcio quàm fideliter*, ΠΕΡΙ ΤΡΟΠΩΝ ΤΡΟΠΟΥΣ. *Item ex Satyris fuere* MYSTERIA, *item* PARMENO, *item* AGATHO, *item* MARCOPOLIS *ſiue* ΠΕΡΙ ΑΡΧΗΣ, *item* ΓΝΩΘΙ ΣΕΑΥΤΩΝ, *item* TITHONIVS *ſeu* ΠΕΡΙ ΓΗΡΩΣ, *item* HECATOMBE *uel* ΠΕΡΙ ΘΥΣΙΩΝ, *item* DVLORESTES, *item* ACHAIA, *item* FLEXIBVLÆ *ſiue* ΠΕΡΙ ΕΠΑΡΧΙΩΝ, *item* PROMETHEI THIRSYS: *cuius quidem ſic aptior uidetur*

inſcr

inſcriptio, quàm ſi Marcelli uulgares libros ſequare, ubi citatur Varro in PROMETHEO THIRSO. *De hoc uerò amplius cogitandum, eſſet ne decimusquintus liber Satyrarum Varronis, Prometheus. Nam ubi Nonius laudat illum ex Prometheo, libro* XV. *illud multò ueriſimilius eſt, quàm M. Terentium de Prometheo libros quindecim ſcripſiſſe. Supraſcriptis addendi quoque ſunt,* TANAQVIL, *item* ΕΡΙΝΑΥΣΙΜΑΚΗ, *item* CRAS CREDO HODIE NIHIL, *item* DESVLTORIVS *ſeu* ΠΕΡΙ ΤΡΥΦΗΣ, *item* ΠΕΡΙ ΑΙΡΕΣΕΩΝ, *item* SYNEPHÆBVS *uel* ΠΕΡΙ ΕΜΜΟΝΗΣ, *item* ACCINIVS, *item* TERENTIVS, *item* NOPRANDIA, *niſi libri Marcelli fallaces: item* PRANSVM PARATVM, *item* PSEVDVLVS APOLLO *ſiue* ΠΕΡΙ ΘΕΩΝ ΑΠΑΝΤΙΣΕΩΣ *item* CAPRINVM PRÆLIVM *uel* ΠΕΡΙ ΕΡΙΔΟΣ, *item* GEMINI, *quo ex libro ne Titinius Varro poëta, qui fabulam Geminam inſcripſit, autor laudari uideatur, facit, quòd eum ſoluta oratione ſcriptum indicat Nonius, uerbaq́; ex eo recitat, quibus legis Meniæ commeminit. Præterea Satyras fuiſſe accepimus his titulis,* AIAX, *item* PRANESTE, *ut emendo, quod eſt in Marcello,* PERNESTES, *item* PHOEBVS, *item* ANDROMEDA, *item* ARMORVM IVDICIVM, *item* OEDIPVS THYESTES, *qui ſic coniunctim à Marcello profertur, ubi de diuerſis generibus: & ijs adde Satyram* SARDI VENALES, *quam uerſu fuiſſe ſcriptã ex Nonio accepi, idemq́; de proximè ſupra enumeratis ſuſpicor. Augent quoque Satyrarum numerum hi libri,* ΑΝΘΡΩΠΟΥΡΓΙΑ Η ΠΕΡΙ ΓΕ-

ΝΕΘΑΙΩΝ, *item* SEXAGESIMVS, *qui liber an in ordine Satyrarum eius numeri loco, & alio cum titulo poſitus eſſet, neſcio: id ego tamē in epigraphis librorum referendis obſeruaui. Accedunt ad prædicta & alij, ut* LONGE FVGIT QVI NOS FVGIT, *item* MODIVS, *niſi is idem liber fuit cum illo, Modus eſt matulæ: item* ΚΕΝΟΔΟΞΙΑ Η ΠΕΡΙ ΦΟΝΟΥ, *item ſi recta ſcriptio eſt,* ΑΜΟΥΜΕΝΕΘΗΣ Η ΠΕΡΙ ΜΑΡΤΥΡΙΑΣ, *item* SERAPARECTES, *item* BAIÆ, *item* ΚΥΚΝΟΣ Η ΠΕΡΙ ΤΑΦΗΣ ΤΥΦΩΝ, *qui in libris uulgaribus deprauatè dicitur*, ΚΡΟΝΟΥ Π. Τ. *Amplius de Satyris Varronianis memorantur*, MVTVVM MVLI SCABVNT *uel* ΠΕΡΙ ΑΦΟΡΙΣΜΟΥ, *item* MÆONIVS AVTVMEDO, *item* ABORIGINES *ſeu* ΠΕΡΙ ΑΝΘΡΩΠΩΝ ΦΥΣΕΩΣ, *item* MANIVS, *qui liber hæſito an ſit idem cum Mænio: item &* ΛΟΓΟΜΑΧΙΑ, *item* EFFRACTIO, *quod malim ſcribi, quàm* ETRACTIO, *item* ΕΟΣ ΠΟΤΕ Η ΠΕΡΙ ΩΡΩΝ, *item* ΠΑΠΙΑ ΠΑΠΠΩ Η ΠΕΡΙ ΕΓΗΩΜΙΩΝ, *qui tamen titulus mihi multum eſt ſuſpectus, ut & ille* GLOPERITON, *qui aliàs per* P, *alios per* B, *ſcribitur, nec ſcio de utro quid rectius.* Ex *iiſdem quoque libris fuere* ΠΕΡΙ ΛΕΞΕΩΝ, *item* ΑΛΛΟΣ ΟΥΤΟΣ ΗΡΑΚΛΗΣ, *qui à Macrobio proferuntur, ut & ille* NESCIS QVID HESPER SERVS VEHAT. *Priſcianus autem libro ſexto citat Varronis Satyram de numiſmatis, quæ à* Nonio *refertur inſcripta,* OCTOGESIMVS *ſiue* ΠΕΡΙ ΝΟΜΙΣΜΑΤΩΝ. *Ab eodem adducitur* TRIPALVS *uel* ΠΕΡΙ ΑΡ-

ΡΕΝΟΤΗΤΩΝ, *item* ΠΕΡΙ ΕΧΟΝΤΟΣ ΤΑΡΙΚΕΙΑΣ, *item* ΤΑΦΗ ΜΕΝΙΠΠΟΥ ΚΑΙ Η ΑΠΑΝΤΗΣΙΣ, *item* ΑΜΟΥΜΕΝΕΘΗΣ Η ΠΕΡΙ ΦΙΛΑΡΓΙΡΙΑΣ. *Præter enumeratas Satyras aliæ ſunt quoq; apud* A. Gellium, *ut* DE OFFICIO MARITI, *item* ΠΕΡΙ ΥΔΩΡΚΡΥΩΝ, *item* ΔΙΣ ΠΑΙΔΕΣ ΟΙ ΓΕΡΟΝΤΕΣ, *item* EX DEMETRICVS, *item* ΣΚΙΑΜΑΧΙΑ *uel* ΚΡΙΟΜΑΧΙΑ, *quæ epigraphe & in* Nonio *refertur, ſed corruptiſſime: item citatur apud illum* ΠΕΡΙ ΕΔΕΣΜΑΤΩΝ, *carmine liber conſcriptus de lautitijs & cibis peregrinis: pro quo fortaſſe apud* Nonium *legitur* Π. ΕΒΔΟΜΑΔΩΝ: *neque enim fit ueriſimile id nomen Satyræ inditum ab autore qui ſeptem cognomines libros compoſuit. Sed & eiuſdem generis ſunt,* TRIOCLITES TRIFILIVS, *niſi melius ſit legere* TRIFOLIVS, *ſiue* ΠΕΡΙ ΑΡΕΤΗΣ ΚΑΙ ΦΥΣΕΩΣ, *liber à Marcello prolatus, uti & ille* ΠΕΡΙ ΕΝΤΑΦΙΩΝ, *qui & dicitur* ΠΕΡΙ ΕΠΙΤΑΦΙΩΝ, *ſed apud illum perperã pro alterutro titulo citatur Varro in* Epi*ſtationibus*. Eodem *teſte Varroniani ſunt libri* ΕΠΙ ΤΗ ΦΑΚΗ ΜΥΡΟΝ Η ΠΕΡΙ ΕΥΕΤΗΡΙΑΣ, *alijs tamen placet legere* ΕΝΕΤΕΡΙΑΣ: *item niſi me fallit memoria,* ANTIPATER, *item* ANTROPOPVLI, *item* ΠΕΡΙ ΕΙΣΑΓΩΓΗΣ, *ut eidem Seruius adſcribit* ΑΙΤΙΑ, *librum quem ad exemplum* Callimachi *ſcripſit, ut opinor: an præſcripſerit neſcio.* His *addendam curaui aliam quoque licet mendoſam* Epigraphem, ΕΥΡΗΝΕΛΟΠΑΣ ΤΟΠΟΝΙΑ Η ΠΕΡΙ ΚΑΘΗΚΟΝΤΩΝ, *uariat*

tamen in Nonianis *prioris nominis ſcriptura*, & HEVRENVLAPOSTOPOMA *à quibuſdam legitur, qua de re non liquet. Verum enimuerò prædictarum librorum nec uola ut loquitur* Varro, *nec ueſtigium appa*ret, *quò diligentius ſeruandi ſunt, quaſi ſcalmi è naufragio, libri tres* RERVM RVSTICARVM *ſuperſtites: quorũ primus eſt* DE AGRICVLTVRA *ad* Fundaniam *uxorẽ, alter* DE RE PECVARIA, *ad* D. Turranium Nigrum, *tertius* DE VILLATICIS PASTIONIBVS, *ad* Q. Pinium *uicinum & amicum ſuum.* Id *opus dixit* Varro *ſcripſiſſe ſe, cùm iam eum annus octogeſimus de ſarcinis colligendis admoneret. Quare* C. Plinij *emendandi ſunt codices, niſi autor ipſe ſcribendo peccauerit, libro decimooctauo, cap.* 3. *ubi* Varronem *ait octogeſimumprimum uitæ annum agentem librum illum ſcripſiſſe.* In *quo quidem opere ut in ceteris,* Varro *tametſi minus ſit ſuauis eloquio, doctrina tamẽ atq; ſententijs ita refertus eſt, ut in omni liberali eruditione ſtudioſum rerum tantum hic doceat, quantum ſtudioſum uerborum* M. Cicero *delectet, inquit,* Aurelius. *Sed præter integrum illud opus ſupereſt pars librorum* XXIV. DE LINGVA LATINA, *quorum reliquias manibus pijſsimis legit* Antonius Auguſtinus, *uir* Hiſpani *generis eruditiſsimus, rerumq; & librorum ueterum exequentiſsimus.* Is *autem diligenter obſeruauit huius operis, ad quod accincti ſumus, tres fuiſſe partes:* Primam, *quemadmodum uocabula rebus impoſita fuerint:* Secundam, *quo pacto in diſcrimina ierint:* Tertiam, *ut ea inter ſe ratione coniuncta, ſententiam extulerint.* Prima *pars ſex libris expoſita fuit: tribus prioribus, de diſciplina originis uerborum, ad* P. Septimium, *poſterioribus, de uerborum*

rum

rum origine, ad M. Ciceronem ſcriptis. Sic primus liber habuit, Quæ dicerentur cur Etymologice neque ſit, neq; ea utilis ſit. Secundus, Quæ ſit, & cur ea, & in quibus ſit. Tertius, Quæ forma Etymologiæ. Quartus, Origines uerborum, locorum, & rerum quæ in locis. Quintus, Origines uerborum, quæ tempora ſignificant, & res quæ in temporibus fiunt. Sextus, Origines uerborum quæ à poëtis uſurpantur. Secunda pars operis ſex libris conſtitit: prioribus tribus diſciplinam declinationum, poſterioribus, eius diſciplinæ propagines explicauit. Septimus igitur continuit, quæ dicuntur contra ſimilitudinem declinationum: octauus, quæ contra diſsimilitudinem: Nonus, de forma ſimilitudinum. Poſteriores uerò, ut dixi, de diſciplinæ declinationum propaginibus, & de formulis uerborũ tractauerunt. Tertia pars eiuſdem ſcriptionis duodecim libris, ut uerba inter ſe ratione cõiuncta ſententiam efferrent, continebat. Quorum etſi tractatio de copia uerborum, & de poëmatis eſſet, ordo tamen & ratio nobis eſt ignotiſsima. Quòd ſi tres totius operis priores libri à M. Terentio ad P. Septimium Quæſtorem olim ſuum ſcripti fuiſſe uerè dicuntur, extremo libro ſexto de lingua Latina, ex octodecim poſterioribus eiuſdem argumenti libris, nõ uerò ex prioribus, illi uideri debent, quos A. Gellius Noctium Atticarum libro XII. cap. 6. & 10. & libro XVIII. cap. 12. & Rufinus in commentario de metris cõmemorat. Si quidem AD M. MARCELLVM liber ſecundus & ſeptimus DE LINGVA LATINA, & quod idem eſt, DE LATINO SERMONE profertur, nõ ut eius tractationis ſecundus aut ſeptimus liber, ſed uti unus eorum quos Varro ad illum conſcripſit: qua forma diceres quintum de lingua Latina li-

brum, ſecundum Varronis ad M. Tullium Ciceronem. Quamobrem ne tres libri de lingua Latina priores ad duos diſiunctim miſsi ſtudioſis uiderentur, quòd Auguſtinus Varronis reliquias in A. Gellianis ſeruatas, uelut membra diſiecta, in ordinem operis huius libro ſecundo diſpoſuit, non ſine ratione mihi uideor immutaſſe de prædicto loco, & inter incerta Varronis fragmenta ex ordine collocaſſe. Planè ſi tẽpus quæras quo Latini ſermonis opus editum fuit, ex epigraphe ad Marcellum & ex Varronis ſcriptione libro quarto animaduerti, conſcriptos hos libros poſt ludos Circenſes Dictatoris Cæſaris, cùm iam Camelopardalis, de qua Plinius libri VIII. *cap.* 19. *in Latium ueniſſet, & antequam M. Marcellus occideret, qui à P. Magio interfectus eſt C. Cæſare* IV. Q. *Fabio Maximo Coſſ.*

CÆTERA *quæ de his libris dici poſſent, non breuem commentarium, hanc'ue noſtram diſquiſitionẽ decent, ſed iuſtum potius uolumen deſiderant. Ego uerò uitam resq; M. Varronis, & de ſtudijs eius priſca teſtimonia duntaxat in unum conferre, notas quæ fidem mearum emendationum facerent, redderentq; ſuis in locis rationem, ad eius reliquos de lingua Latina libros accommodare, animum induxi. In his tamen quæ ſcribo non ut Albutius ille rhetor quicquid poſſum, ſed quicquid debeo, dico. Qui plura expetet, modò ne in his quæ tradidi officium meum diligentiam'ue requirat, nihil me ſuo deſiderio mouebit. Tu ueterum amator & admirator, Cauleti, uideris ſatis'ne rectè Cornelios illos Nepotem, Tacitum, aut Tranquillum, aut Plutarchum ſim imitatus, & an pro dignitate caſus herois noſtri Varronis ſcribendo expreſſerim. Quod ſi factum meum ut illuſtre,*

luſtre, in tantis tenebris Antiquitatis illo iudicio probas, quo ea quæ recta ſunt acutiſſimè perſpicis; id erit mihi gratiſſimum, ſed gratius multò, ſi cùm ſemel probaris, his ſemper utare pro tuis.

M. VAR

M. VERTRANII MAVRI AD M. VARRONIS libros de lingua Latina, Notæ.

*

AD LIBRVM IV.

1 IN quo non debet pertendi & pertenditur] *Quod Grãmatici ueteres apud Luciliũ, Pacuuiũ, Næuium, Turpilium, Luciũ & Marcum Accios, Enniũ, Pomponium, Quadrigarium, noſtrumq́; Varronem obſeruauerunt, ut agentia uerba ponerent pro habentibus patiendi figuram, ne quis Nonio & A. Gellio aſſuetus, hoc in loco annotandum exiſtimaret, ubi codices habuerunt,* pertendit, *ego ſcribendi* pertenditur *autor fui. Cùm enim adhuc nullius perſonæ iacta ſit mentio, ad quam id uerbum referri poßit, perſonale mutatum in imperſonale cohærentius & aptius eſſe credidi. Sanè librarijs facile fuit, titulum t literæ prætermittere, ex quo partus multis in locis eſt error, ut libro quoque ſequenti erat,* Impero qua conuenit, *& pro eo* conuenitur, *emendaui. In hoc tamen cautione opus eſt, ne qui uolent corrigere, quandoq; deteriora faciant.*

2 Maximè propter has quaternas cauſſas] *Eleganter M. Fabius ſcribit libro I. notationis ſtudioſos maximè in his fatigari, ut uerba paulũ declinata uariè & multipliciter ad ueritatem reducant, aut correptis, aut porrectis, aut adiectis, aut detractis, aut permutatis literis ſyllabis'ue. Sed is de toto genere deductionis loquitur, Varro de ſola ſpecie commutationis tractat: & ait uerba*

com

commutata, literarum demptione, aut additione, & ut alij legunt, propter earum artationem, aut commutationem, item ſyllabarum productionem. *Quæ uerba ſi rectè ſe habent, erit commutatio propter quinas cauſſas adſerenda: ſed ineptum uidetur, & re uera ineptum eſt, fieri commutationem literarum commutatione exiſtimare. Eam ob rem commutationis ex hoc loco ſublata mentione, uera* propter has quaternas cauſſas *erit ex manuſcriptis ab alijs tentata lectio. Neque tamen in ea animus planè conquieſcit, cùm literarum* artationem *ſcriptam oculis cerno. Quid enim eſt dicere literas commutari, cùm artantur, & comprimuntur? imò uerò quid eſt literas artari & comprimi? ideo certè non mutantur, ſed ſe inuicem elidunt. Antea excuſerant* atractionem *minus fideliter: cùm idem atractio literarum ſit quod additio, cuius proximè meminit. Ego arbitror probabiliorem fore ſcriptionem huiuſmodi,* & propter ſyllabarum arctationem, item earum productionem. *Arctatio autem ſyllabæ correptionem ſignificat, uocabulo translato à rebus quæ cùm arctantur, tenuiores fiunt, & in altitudinem arriguntur. Ita uerò ſi legas, & uti ego moneo, Varronem cum Fabio conferas, ueterem lectionẽ,* propter bis quaternas, *& nouam coniectationẽ* propter ternas, *apertè falſam agnoſces.*

Commemorandum] *Sic legere malui, paruaq; 3
licentia uſus, mutaui quod erat,* commorandum: *alijs* commonendum, *& alijs* admonendũ *eſt.*

Hinc Pacuuius] *Apud Quintilianum conficta 4
uerba ſunt hæc, quæ ex præpoſitione & duobus uocabulis durè uidetur ſtruxiſſe Pacuuius, Nerei repandiroſtrũ,*

incuruiceruicum pecus. Sed hæc tota res magis Græcos decet, Latinis minus ſuccedit:nec id fieri natura puto,ſed alienis fauemus. Ideoque cum κυρταύχενα mirati ſumus, incuruiceruicum uix à riſu defendimus, inquit ille lib.1. cap.10. Quod ex eodem Pacuuio refert Varro uerbum *clypeare, ſic in eius* Hermiona *fuit, ſi uerè* Nonius Marcellus,*ibi, Currum liquit, clamide contorta clypeat brachium.*

5 Tamen ſecundum præteribo] *Excuſa iam olim huiuſmodi uerba ſic fuere, & quidem rectè:ut dicat Terentius,ſi gradum ſummum non aſcendo, tamen ſecundum prætergrediar. Liber tamen cuius* Antonius Auguſtinus *poſſeſſor eſt,habet* ſecundum nõ præteribo: *quaſi dixerit Varro,ſi ſummum gradum non attigero, tamen ſecundum quin attingam non præteribo. Verum ea ſubauditio periculoſa eſt.*

6 Totidem uerborum] *Poſt hæc uerba ſequebatur ſcriptum in quibuſdam chirographis,* harum enim, *& in alijs* horum, *utrunque ſcilicet mendosè: ideóque ſuſtuli, facilimè nanque factum eſt, ut dictionis præcedẽtis duas poſteriores ſyllabas librarius bis ſcripſerit:quod in autoribus omnibus peccatũ frequens,& apud Varronem in ſequentibus annotaui.*

7 Apud Plautum: Filiam habeo] *Hos uerſus Plauti ſemel & iterum hoc modo ſcriptos protulit Marcellus, ut ambigas apud hos, an apud illum uitiata ſit ſcriptura.* Et quidem *Aulularię ſcena quarta ait* Euclio, *Virginem habeo grandem,dote caſſam,atque illocabilem, Neque eam queo locare cuiquam.*

8 Apud Ennium: ô terra Græca, vbi Liberi fanum intumum locaui.] *Etſi locus hic*

Ennij

Ennij alijs mihiq; admodum ſuſpectus ſit, lectio tamen ex antiqui libri ſuffragio in lucem educta, amplectenda potius meo iudicio uidetur, quàm illa uetus, ô terra trita, *aut illa,* ô terra terca, *aut illa quæ eſt in manuſcripto,* ô terra terrea, vbi Liberi fanum, in cuius muro locaui. *Neque uerò ſic potuit* Q. *Ennius ſcripſiſſe, cuius tempore & multis pòſt annis, mœrum, non murum, unde pomœrium, ueteres* Romani *dicebant.* At *aliquis pexus pinguisq; doctor occurret, quod intimum Latinitas iam habeat, & id magis quàm intumum* Ennius *illi ſcripſiſſe uideatur.* Verùm M. *Fabius lib.*1.*cap.*13. *refert, primùm inſcriptione* C. *Cæſaris factum, ut mediam* I *literam acciperent nomina, quæ* V *apud ueteres habuerant, exemplaq; ſubijcit* Optimus *&* Maximus*; quæ in antiquis ſpectationibus ſunt* Optumus *&* Maxumus, *ut & legitur* Peſſumus, *quæ ſunt item apud* Plautum, *ut & apud* P. Terentium *Intumus.*

Lucretius ſuorum unius & uiginti li- 9
brorum] *Videndũ curioſis an noſter* Varro *de* Q. Lucretio *intellexerit, è cuius agro eſt hæc adſeruata memoria,* A. Q. LVCRETII HISTORICI AC POETÆ CONDITORIS XIISSIMI CVI OB EXCELLENTIAM INGENII STATVA CONDONATA AC CIVITATI CESÆNÆ ROMAN. COLONI. DEDVCERE IN HOC SACRO MONTE DEDICATO. *Quod ſi non eſt, ut ego maximè uereor, aut uitium latet hic, aut alius quàm* T. *Lucretius Carus autor fuiſſe* M. Terentio *uideri debet, operis initio & librorum numero repugnante. Niſi quis diuinet libros unum & uiginti à Lucretio ſcriptos, & ab alio quodam eius ſtudioſo in ſex ſuperſtites*

de

de rerum natura libros epitomatos, & illius nomini honoris cauſſa relictos fuiſſe. Sed hoc non temerè crediderim, quum temporum uix ratio congruat, quam Pamphilus *perſcripſit: ſcilicet is autor eſt,* T. Lucretium, *qui poſtea amatorio poculo in furorem uerſus, cùm aliquot libros per interualla inſaniæ conſcripſiſſet, quos poſtea* Cicero *emendauit, natum anno poſt* Varronem XXIV. *& poſt* Ciceronem XI.

10 Ad cauationem cæli] *Teſtimonia recitat quæ caui & cæli adgnationem confirment. Ennianus uerſus in libro* Auguſtini *ſic ſe habet, ut poſui, & ita niſi legas, maliſq;* rationem, *aut* notionem, *aut* nationem, *in alienum locum ineptè producta* Ennij *uerba uidebuntur: quæ cùm dicerentur in ſcæna,* Q. Ennius *ſphæram attulit, tametſi in ſphæra fornicis ſimilitudo ineſſe nō poſſit, ut refert* M. Tullius *Oratorio libro* III.

11 Tribulum] *Antiqui libri ſic habēt, & hoc uocabulo idem utitur* Ruſtico *libro primo, ibi,* Quod *fit apud alios iumētis iunctis, ac tribulo.* Qui *locus citatur à* Nonio *cùm uult probare ueteres autores non ſolum muliebri genere tribulas, ſed etiam neutro tribula dixiſſe. Illud quò probet,* Vergilium *ex primo* Georgicōn *citat, ibi,*

12 *Tribulæq;, trahæq;, & iniquo pondere raſtri.*

Etſi nunc omnibus in libris Tribulaq; *legatur. Eòdem ſpectat* Columellæ *ſcriptū libri* II. *cap.* 21. *Si pauca iuga ſunt, adijcere tribulam & traham poſsis.* Plinius *quoque utitur hoc uocabulo, licet genus nō diſcernas, lib.* XVIII. *cap.* 43. *ibi, Meſsis alibi tribulis in area, alibi equorum greſsibus excutitur.* Quæ *eò adduco, ne me quis ſine cauſſa de ueteri ſede,* triuolum *putet deieciſſe.*

Propter militare iter] *Affinitas literarum quam inter*

inter limitem & militem, Fabius quoque obſeruauit, hoc me loco modica libertate uti fecit, cùm antea libri omnes limitare iter *haberent, quod uerbum nuſquam eſt receptum. At contrà, quemadmodum Varro militare iter, uiam militarem Cicero, Higenus, Columellaq; dixerunt.*

Qui Romæ non combuſtus] *Quoniam uerborum prior, rerum ſemper fuit potior cognitio, de certa lectione primùm ſtatuam, deinde autoris ſenſum explicabo. Libri formis excuſi habebant,* quod Romanus comb. *Vaticanius,* qui Romanus comb. *Ingenioſi quidam excogitarunt,* quod Romæ comb. *Alij nec ineruditi,* qui Romæ non comb. *quæ lectio magis eò placet, quòd relatione multò fiat hic locus apertior. Ad ſenſum uerò autoris exponendum, ſepulturæ ueteris tota ferè ratio è riuulis antiquitatis, quando ex fontibus non poteſt, hûc deducenda eſt, & ex Seruij Mauri notis ad Vergilij ſextum, in has noſtras referenda. Mos exequiarum apud maiores erat, ut ſi quis peregrè mortuus eſſet, domū ſuam referretur, ubi per ſeptē dies, ut ait Plinius, ſeruabatur, intra quos eum aqua calida abluebāt domeſtici, & quāuis* XII. *Tab. uetaſſent, ungebāt, perq; interualla cōclamabant: ſolet enim plerunq; uitalis ſpiritus excluſus putari, & homines fallere. Die octauo fuit tempus cùm terram cadaueri inijcerent, & humo defunctum operirent, quod uulgò potius factū reor, quàm Seruio credā, ritum in eo pontificalem extitiſſe. Poſtmodum Græcus mos inductus eſt, eodem die corpus ad rogū efferendi. Rogus erat è lignis pro dignitate defuncti, pluribus uel paucioribus gradibus, in aræ modum conſtructus, ut indicat Vergilius, & frondibus atris, aptiſq; ad funera intextus, & cupreſſo circundatus, propter uſtrinæ grauem*

odo

odorem, ne circunſtantem populũ qui prodiſſet in funus, offenderet. Elatum corpus cùm ad rogum uentum eſſet, poſt ultimam conclamationem, pyræ ſupponebatur, & cum eo, ſi nobilis fuerat, arma, equi, famuli, caneſue, quos imprimis charos habuiſſet. Deinde qui ius ſanguinis, affinitatis, uel amicitiæ, quæ ſibi cum uiuente fuiſſet, illo mortuo propius retinebat, à rogo auerſus, accenſum funem (unde Varroni funus dictũ) lignis ſubijciebat: auerſus, inquam, ne tam id uolens, quàm ex officio adſtrictus facere uideretur. Tum niſi cùm lex XII. *Tab. impediret, alij thus, myrrham, alij uaſa oleo plena in ignem inijciebant. Quod Athenis interdiu, Romæ per noctem facere moris erat: unde in orbe Romano ſeruatur, faces accenſos mortuis dum efferuntur, præferre. Interea uerò cùm ignis impoſita abſumeret, plãctui præfecta præfica laudes canebat defuncti, eiusq; lamentis populus reſpondebat, quouſque cadauere conſumpto, igne ante legem* XII. *uino, & poſt eam aqua reſperſo, oſſibus cineribusq; in urnam collectis, ipſa nouiſſimum uerbum diceret,* ILLICET, *id eſt, ire licet. Vnum autem os de oſſibus mortui combuſtiq; excipiebatur, quemadmodum ait Varro, ad familiam expurgandam. His enim quæ retulimus, noctu ritè peractis, die ſequenti, qui feriarum Denecalium nomine colebatur, funere polluti, aqua ter oliuæ, lauri'ue ramo ſparſa, purgabantur. Deinde ante locum ſepulchro deſtinatum, aram conſtituebant, in quam prius ſcilicet, aqua aſperſi, uictimam, ſulphura, & pariter os illud exceptum, cum tædis imponerent, ſicq;* DIIS MANIBVS *ſacrificarent. Ita enim Varro de uita Populi Romani libro* III. *inquit: quoad humatus non ſit heredi porca præcidanea ſuſcipienda, Telluri & Cereri, aliter familia pura non eſt.*

Demumq;

Demumq; ſacro facto, flammaq; quieſcēte, os illud mortui reſumebant, & cum ceteris in oſſario condebant heredes, uel amici: qui defuncto extremum VALE dicentes, ſepulchrum titulo defuncti inſcriptum, imponebant. Nunc ad Varronem redeo. Humilior dicitur familia, quoad funeſta manet: id uerò eſt, quandiu qui comburi debet, in ignem non ponitur, aut qui humari debet, non humatur: item ſi mortuo combuſto, exceptum os ex eo, dum familia purgatur, nondum in urnam, uel oſſarium conditum eſt, ipſumq; oſſarium nondum cōtectum, urnáue terra, uel lapide nondum operta. Quæ omnia niſi prius ritè facta eſſent, ex ueteri iure Pontificio, purgata familia minimè uidebatur.

Ager dictus eſt] *Marcus Fabius libri primi ca-* 14
pite x. extremo, Varronem uanitatis notat, quòd nominis Etymologiam quærat, qui id à Græco ſumptum nō ignorauit, cùm ager à Græco ἀγρὸς manifeſtè ducatur.

Qua vehebant, viæ] *Imò quia uehebant, pri-* 15
mùm ueæ dictæ, & deinde uiæ: item quò fructus ueherent, & unde ueherent, uellæ, & poſteà uillæ: familiaris enim fuit E, *in* I, *commutatio. Qua de re apud Varronem de re ruſt. lib.1. cap.2.*

Semen, quod nō planè id, quod inde eſt] 16
Ex Auguſtini libro legas, id quod inde, *nullo ſequēte uerbo: ex alio,* id quidem vnde; *ego uerbum adieci, quod hac nota* ē *, ſcriptum, poſt ſimilem literam, facilè imperiti librarij neglexerunt. Quod ita ſi recipis, hanc autor notationem ſignificat ſeminis, quaſi quod ſe minus ſit, ſcilicet, cùm ſeritur, quàm cùm metitur, licet fructus omnis in ſemine Tertulliano eſſe uideatur, Apologetici 9.*

Terra iacta, id eſt, proiecta, porca] *Manu-* 17
ſcripti libri inter ſe diſcrepant, alter proiecta, *alter*

habet porrecta: *& utraque ſcriptio Varronis autoritate ſuſtinetur. Prima ex hoc loco, ut à ſulco terra proiecta, non illepidè porca dici poßit. Altera ex cap. 29. libri I. de re ruſtica, ubi inter ſulcos elata terra dicitur porca, non à terra procul iacta, ſed quòd ea ſeges frumentum porricit. Hæc ſanè uarietas ſententiæ tertiam quandam etymologiam apud Grammaticos introduci permiſit, ut porca ſit dicta, quòd porriciat, id eſt, prohibeat aquam frumento nocere. Ego neſcio quid melius, totaq; mihi res in æquilibrio pendere uidetur.*

18 Quod ſine opera parata] *L. Columella lib. II. cap. 17. prato nomen ab eo inditũ ait, quòd protinus eſſet paratum, nec magnum laborẽ deſideraret. Idem ferè apud Varronem Rei Ruſticæ libro I. ait Scrofa, antiquos prata parata appellaſſe. Sed magis puto pratum in Latium è Græcia ueniſſe, ubi πρασὸν quod eſt uiride uocatur.*

19 Diuidit in eos agros] *Mendoſus locus hic eſt, quiq; emaculari ſine alijs codicibus non poteſt.*

20 Ea pignore data publice mancupi fidem præſtent] *Ab Auguſtini libro non deficio, niſi in eo quod* mancupes, *non recipio: obruitur enim autoris ea lectione ſententia. Quod uetuſtus liber habet,* eo pignore dato, *non probo: neque enim ad prædia pluratiui numeri, conuenienter id ſingulare referetur. Indicat autem Varro, mancupi qui publicum aliquid redimebat, aut conducebat, fidem ob prædia ſuppoſita datam, ut in more poſitum erat, populo prædijs prædibuſq; cauere.*

21 Stagnum quod Græcè στέγανον] *Apud Feſtum quidam ſtagnum dici putant, quòd in eo aqua perpetuò ſtet: ſed ea notatio g literam intra id nomen non patitur: alij putãt, quòd is locus à Græcis στέγανος dicitur, quòd bene con*

ne contineat aquam, quaſi ſolidus & impenetrabilis. Quare potius quàm uetus, hæc à uiris eruditis ſcriptio renouata placet.

22 Nihil Latinum, ut] *Itali quidam ex ueterum librorũ notis ſcribendum rati ſunt,* nihil Latinum & ignotum: vt &c. *quorum ego opinioni neq; omnino accedo, neque planè diſſentio. Vereor tamen ne non ſit tam ignota Tiberis appellationis origo, quàm ipſi uideri uolunt. Sextus nanque Pompeius nomen fluuij Albulæ, à Tiberio Syluio Albanorum rege mutatum ſcribit, cùm in eo cecidit: & in ea hereſi eſt Liuius. Sed antequam Alba eſſet, Tiberis dictus inuenitur, ait Seruius. Idem Pompeius refert, Tiberim à Tibri Tuſcorum rege principiò Tibrim dictum: in qua opinione eſt Virgilius, libro* VIII. *Aeneid. Quare cùm Tiberis oriatur in Tuſcis, eius nomen rectè non Latinum, ſed ignotum non rectè dici uidetur.*

23 Propter Tiberium regem Latin.] *Sic antiquus liber quidam habet, alij omnes* Tiberinum: *ut apud Feſtum uariat ſcriptio de Tiberino & Tiberio, ubi de Albula. Sed non ſit ueroſimile dictum à Tiberino Tiberim, imò potius econtrà. Verius igitur exiſtimo, quod cum bona uenia tot autorum dixerim, à Tibri Tuſco dictum Tiberim fluuium: & à Tiberi, nomen regis, & familiæ Tiberium, & deum Tiberinum originem appellationis accepiſſe.*

24 Mallius ſcribit] *Gentes diuerſas fuiſſe Manliam, Maniliã, Mamiliam, & Malliã, nemo eſt qui neſciat: ſi modo Manliorum ulla fuit. Manlia fortiſſimos uiros cõplures rei militari dedit, ſed celebrem rei literariæ nullum. Ex Manilia recenſere Marcos poſſemus, alterum iuriſ-*

conſultum, alterum poëtam: niſi P. *Victorius uir doctus, & in ueteribus ſcriptis examinandis bene callidus, uetuſtorum librorum teſtimonijs iuriſprudentem illum principem* Romanæ *ciuitatis*, *Mamiliæ genti aſſereret: cuius quidem proautor qui fuerit,Sex. Pompeius libro* XI. *prodidit.* De *illo poëta* Manilio *credito*, *qui* Aſtronomicōn *libros* V. *ad* Cæſarem Auguſtum *ſcripſit, quin ex ea gente fuerit, impedit nemo.* At M. Mamilius *unus ex ijs qui fundauerunt ius ciuile*, *qui cum* Bruto *&* Publio Scæuola *iuris quamplurimas quæſtiones tractauit*, *libellos tres de iure ciuili cōpoſuit, & uolumina inſcripſit* MAMILII MONIMENTA, *ex quibus, ut opinor, citatur à* Feſto *libro* XVII. *Ab eo* Mamilianæ *uenalium uendendorum leges, extremo libro primo* Oratoris *à* Cicerone *dicūtur: ſimiliter actiones* Mamilij, *& eiuſdem autoris ſtipulationis formula apud* Varronem *legitur*, Ruſticorum *libro* II. *cap.* 3.5. *&* 7. *Sed idem an ſcripſerit* Hiſtoriam, *quantò quibuſdam exploratum uidetur, tantò mihi incompertum eſt.* Quo *minus hoc in loco ueterum ſcriptionem, & quorundam ſententiam defendo, etſi me doctorum hominum, & codicum antiquorum multum moueat autoritas.* Su*pereſt autē gens* Mallia, *quæ* Cneum *cum* P. Rutilio *conſulem* Vrbi *dedit*, *&* Publium *illum* Ciceronis *amicum, &* Lucium *pictorem optimum.* Ex *ijs conſul'ne, an alius hoc loco à* Varrone *laudetur*, *non liquet: at proculdubiò hic* Mallius, *ut eſt in olim excuſis*, *autor citatur, ut apud* Macrobium *libri* I. *cap.* 10. *ex* Mallij *doctrina* Saturnaliūm *origo unde ſit ducta, inueſtigatur.*

25 Quadrantis ratiti] *Fuere qui raticum*, *ut hoſticum dicerent: ſed ratitum proculdubiò à rate ueteres ſcripſere, ut* Pompeius *libro* XVI. *& ſenior* Plinius *libri*

XXX

XXXIII. *cap.3.* Inter *hos conuenit, notam æris ex altera parte fuiſſe* Ianum *geminum, & in aſsis altera roſtrum nauis: in trientis uerò & quadrantis altera, ratem excuſam.* Is *autem nummus exigui pretij, dabatur ab ijs qui ratibus tranſibāt, dabatur etiā balneatori, ab ijs qui balneū lauandi cauſa ingrederentur, quod ex* Iuuenali *&* Horatio *obſeruaui: & hinc à* Seneca *epiſtola* 87. *ad* Lucilium, *balneum res quadrantaria dicitur, nō, quadratoria, ut quidam exiſtimauerunt.* Verùm *ex indicio* Plinij, Pompeiq; *teſtimonio, quadrans ratitus id à ratis nota nomen habuit, non ab eo quod pro uectura ſolueretur, ab illis, qui ex urbe in* Auentinum *aduehebantur: quod cum honore, bonaq; pace* Varronis, *neque aliter ſcriptum uelim.*

In ſeptem & viginti parteis vrbis] *Subſiſtet hic ingenioſus, cùm tot partes, & quatuor regiones urbis* Liuij *libro primo, leget, maximè qui apud* Plinium, Tacitum, *&* P. Victorem *quatuordecim legerit,* Ego Romæ *in* Capitolio *ſic inſcriptum comperi,* MAGISTRI VICORVM VRBIS REGIONVM XIIII. Quare *ſciendum eſt, cùm tempore* Varronis *tot quot hic enumeratæ ſunt, regiones eſſent, an.* V.C. DCCXLVII. *ſub* Auguſto *totam urbem in* XIV. *partes diuiſam fuiſſe, & unicuiq; magiſtris ipſi cōſtitutis, quemadmodū* Caſsius Dion *libro* LV. *ſcriptum reliquit.* Magiſtros *autem ne quis putet eos, qui* XIII. *nunc* Romæ *ſunt, &* Caporionum *nomen habent, quaſi* Capita *regionum, quod animaduerti ex libello* Victoris *de regionibus urbis, alijs communicatum uolo, nempe magiſtros cuiuſq; uici quatuor, quot uici cuiuſque regionis erant, tot uico magiſtros in ſumma quater fuiſſe.* 26

Sacra quot menſibus feruntur] *In libris &* 27

ſcriptis & excuſis eſt, quotquot: ſimiliterq; ſuprà in manu ſcriptis, quod ſundat multa quotquot annis: & poſtea reſcritur quotquot annis, item, quotquot annis rurium facienda eadem. & infrà libro VIII. quotquot annis eodem modo exoritur. Sed eos qui ſic exſcripſerunt, in libros de corrruptis exēplaribus factos, arbitror incidiſſe: neque uerò id Varro aduerſus uſum uetuſtiſsimorum, & doctiſsimorū tēporis ſui, ſcripſerit Cn. Martius uates antiquiſsimus rerū Romanarū ſcriptor, dixit, Qui quotannis Apollini fiāt. Plautus Sticho Scena 2. Vos meminiſtis quot calendis petere dimenſum cibum. & Epidico Scena 4. quæ quotannis nomina inueniunt noua. Cato rei ruſticæ cap. 43 capita oleagina quot menſibus ſodere oportet. Idemq; eſt apud Vitruuium libri I-X. cap. 4 & 10. cap. 7. Vergilius quoq; Georgicōn libro primo, ait, - ni uis humana quotannis, Maxima quæq; manu legeret -

Item ipſe Varro libro I. Ruſtico, cap. 44. in omnibus exemplaribus, terram quæ quotannis obſita ſit, reſtibilem dicit. Addo Feſtū libro XIII. ibi, October equus immolatur quotannis Marti. Lucius quoque Apuleius Aſini libro XI. ſcripſit, quot dies: quemadmodum ad Maſurium Sabinum libro XXIII. Vlpianus ex Pomponio refert, nihil intereſſe utrum in annos ſingulos, uel quotannis: an in ſingulos menſes, uel quotmenſibus: an in ſingulos dies, uel quotdiebus legetur. Quare cum tot autorum ſuffragijs, cenſeo legendum, ſuprà, quotannis, & hoc loco, quotmenſibus. Ad ea uerò quæ de Sacra uia, Streniæq; uel ſtireniæ ſacello hic ait Terentius noſter, pertinent quæ Sex. Pompeius de Sacra uia libro XVII. tradidit.

Scrib

Scribitur tertia litera C, non B, pagus 28
Succuſanus] *Ita in uetuſtioribus impreßis fuit, & ita ſcripſi Feſtum ſecutus autorem, apud quem Verrius ait, Suburram à pago Succuſano dictam: hoc uerò maximè probat eorum autoritate, qui aiunt ita appellatam & regionem urbis, & tribum, à ſtatiuo præſidio, quod ſolitum ſit ſuccurrere Eſquilijs (in quibus & Carinæ ſunt, ut inter Verrium & Varronem conueniat) infeſtantibus eam partem urbis Gabinis: indicioq́; eſſe, quòd adhuc ea tribus per C literam, non B ſcribatur. Ad hoc M. Fabius libri primi cap. 13. ſcribit, Suburra cùm tribus literis notatur, C tertiam oſtendit. Attamen Suburanam & Succuſanam eandem tribum utraque appellatione dictam, ex Feſto, & ex ueterum monumentis reperio:* M. CÆCILIO SP. F. SVC. RVFO. & T. ÆLIO. T. F. SVC. ACILIANO. & CVRATORES TRIB. SVC. IVNIOR. *Item* C. ATTIO T. F. SVB. VITALIANO. *In quibus epigrammatis ante cognomen illorum tribus in qua cenſerentur, iacta eſt mentio, uti de Græcis legas Pauſaniæ libro primo, Athenienſes ſepultos eſſe, ac pilas eorum tumulis impoſitas, cum elogijs, quæ cuiuſque nomen, tribumq́; teſtarentur.*

Quod excultæ à rege Tullio] *In regione* 29
Exquilina fuit regia Seruij Tulij, ut P. Victor libello de regionibus cõmemorat. Priorem tamẽ notationem Eſquiliarum, quam hoc loco poſuit Varro, M. Cato in fragmento Originum approbauit. Sed quod magis probat Varro, id ex ſua cõſuetudine in ultimo poſuit, hunc enim illi morem Macrobius obſeruauit, libro III. *Satur. cap.* 3.

Lucus Mephitis] *Liber Auguſtini ſic habet, alij* 30
formis excuſi Martis *mendosè meminerunt. Pompeius*

ubi de Septimontio,ait in ea parte Eſquiliarum,quæ iacet ad uicum patricium uerſus,eſt ædes Mephitis. De cuius dei numine Seruius complura ad Vergilium, Aeneidos libro VII.ibi,Sæuamq́; exhalat opaca Mephitim.

31 Lucum Pœtilium] *Facit reuerentia quam antiquitati preſto, ne quid mutem. In alijs eſt* Petilium, *in alijsq́; erunt qui ex Publio Victore* Lucum Petelinum *ſcribent.*

32 Tribus appellatæ Tatium, Ramnium, Lucerum] *Mirabile eſt hic & infrà ſcriptorum diſsidium:quas tribus ait Varro,ita quoque Plutarchus in Romulo dixit,at contrà Liuius Annali primo,& Plinius,ſi is eſt autor,in eo de uiris illuſtribus,equitum centurias retulerunt. Equidem nihil impedit populum in tres diſtributum fuiſſe partes, & ex earum quaque centuriã equitum inſtitutam. Sed hoc niſi de opinione, & quando ueteres in diuerſa trahunt,certum nihil dico.Verùm quod ſcripſi* Tatium, *& infra,* Taties, *non eam ob rem ſcripſi, quòd* Titienſium *& infrà* Titienſes, *&* Ramnenſes, *&* Lucerenſes *ineptè legi exiſtimem, ſed cum anteà legeretur* Ramnium *&* Lucerum, *id ſecutus exemplum quod mutaui,non ſine certo autore, aut ratione,uideri debeo ſuſtuliſſe. Sunt enim à prænomine Titi Tatij regis, Titienſes apud Plinium, Liuium, & Pompeium libro penultimo,uti à nomine, Taties. Quod ex Ennio, Ramnes uel Ramnenſes à nomine Romuli dictos,ait Varro, ſubſcriptoribus Liuio,Plinio, Plutarcho. id mihi nominis ueriloquium omnium difficilimum eſt: neque quid dicam,neque quid de eo coniectem,habeo.Ramnium ſanè appellatione ciues Romanos Q. Horatius epiſtola ad Piſones intelligit,ibi, Celſi prætereunt auſtera*

poëma

poëmata Ramnes.

Præterea Varro ex Iunio, quem Gracchanum exaudio, Luceres ait à Lucumone: cui ſententiæ Plinius accedit, alij in alias diſtrahuntur. Ac uerum quidem exiſtimo Luceres, quos Feſtus uocat Lucerenſes, appellatos à duce ſuo Lucomo, qui antè Lucomedi nominabantur. Is etenim Lucomus, quemadmodum eſt in Originibus Catonis, excubias more Tuſco, Romulo dedit, duodecim lictorum, & trecentorum armatorum, ad cuſtodiam corporis ſimul & dignitatem: quia Tatius non erat ſine ſuſpicione infidæ ſocietatis. Sed ex eo milites dictos credo Lucomedos, at Lucerenſes, etſi Feſtus ſcribat, non arbitror: minuſq; ex his conſtitutam tertiam partem populi cõſtat: alia igitur originatio quærenda, & inueſtiganda eſt eius nominis, cuius cauſſam incertam Liuius teſtatus eſt. Sextus Pompeius libro x. ſcribit, Lucerenſes & Luceres, quæ pars tertia P.R. eſt, diſtributa à Tatio & Romulo, appellatos eos, qui Romulo aduerſus Tatium bellanti, auxilio ab Ardeæ rege Lucero uenerunt. Sed illos milites, rebus inter Romulum Tatiumq; compoſitis, donatos ciuitate, deductos in uicos, ut de Tuſcis Cælianis legimus, conſtare nobis debet prius, quàm tertiam ex illis partem Populi Romani factam, credere poſſimus. Plutarchus aliam nominis cauſſam exquiſiuit, quòd ſcilicet ab aſyli luco Luceres nomen habuerint: qua de re plura eruditiſſimus Sigonius libro priore Emendationũ ſcripſit. Ego ab hac parte uix rationẽ ſtare uideo, cùm omnis turba rerũ auida nouarũ, ex finitimis populis, ſiue ante lucum apertum, ſiue poſteà, ad Romulũ magis, quàm ad lucum perfugerit: quare omnes à Romulo nomen habere debuerunt. Sed cum inter maximos autores, hæc non exigua pugna ſit, quod eſt uerius, Deus ali-

quis uiderit, mihi certè ueriſimilior notatio ſecunda uidetur.

33 Etſi Harpocrates digito ſignificat] *Priſca lectio,* Et ſi Harpocrates digito ſignificat. *Sed pro nomine Varro aduerbium iniungens ſilentium minime poſuerit: eo Plautus Trucul. actus* III. *ſcena* I. *uſus creditur, ſed ſine lectionis uarietate, id habet P. Terentius, Phormione, actus* V. *Scena* I. *ibi,* CHR. *St.* SOST. *quid has metuis fores? Planius autem legit in Miſcellaneis Politianus, cap.* 83. etſi Harpocrates digito ſignificat vt taceas. *De Harpocrate apud Plutarchum libello de Iſide comperij, quòd ex Oſiri ab Iſide conceptus, & quaſi mutus, ante iuſtum tempus uoce non emiſſa natus: ex eo ſilentij præſul inter numina creditus eſt, exindeq; ſignum eius dei ore obligato atque digito obſignante Aegyptij in ſacris ædibus ſtatuerunt. Ad hæc nonnulla, Auguſtinus libro* XVIII. *Ciuitatis, cap.* 5.

34 Atque humori aritudinem] *Ita in ſcripto, at in excuſis legas,* ariditatem; *utrunque uerò probabile eſt. Sic enim dicitur apud Plautum hilaritudo & hilaritas, apud Cecilium pulchritudo & pulchritas, apud M. Tullium beatitudo & beatitas, & apud alios cætera, de quibus A. Gellius libri* XIII. *cap.* 3. *Ceterum quod hîc eſt Pacuuij* Animam æther adiugat, *ut quidam non incuriosè poſuit, quod nos probamus, Nonius Plauto tribuit ex Chryſe: Mater eſt terra, ea parit corpus, animam æther adiugat uolutantem: ubi pro adiungere idem Nonius adiugare interpretatur.*

35 Ibant mane viere Veneriam corollam] *Libri formis excuſi omnes, & quidam ſcripti habent* malam, *alteri manuſcripto ineſt,* malacci. *Sed prior*

ſcrip

ſcriptio nullius eſt ſenſus: poſterior ineptiſſimè malachem Veneri ſacram facere uidetur. Id igitur mihi probare meritoq; uideor, quod ex Tranſalpinis uir quidam doctus ſubtiliter inueſtigauit.

Quam haberent vim ſignificant res Ve- 36
neris] *Hunc locum ſic ex ingenio reſtitui, cùm in excuſis libris eſſet,* ſignificantes Veneris: *unam autem literam adieci, quò ſenſum Varronis illuſtriorem redderem. In libro Auguſtini ſuprà legitur ſine coniunctione,* de cælo ſemen, *& hic,* quam haberet vim ſignificant: à qua &c. *Sed eius ſcriptionis ſententia inſipidum facit autorem, quaſi illi coniunctio ignis & humoris uim Veneris ſignificet. Imo uerò uis Veneris quæ appetitum excitat procreandi, ipſius cōiunctionis cauſſa, & ante illam eſt: quod indicat M. Accius Trinummo, act. III. Scena 2. Ita ui Veneris uictus, otio captus in fraudem incidi.*

Eam ob rem quod tentaui, ingenioſis probatum iri confidentius ſpero, cum non ignorent ex hypallage, ut extremo libro octauo Fabius ait, dixiſſe Venerem, quàm coitum magis decere. Ita res Veneris poſuit Varro pro coitu, quemadmodum Lucretius libro II. ibi, Aut iuuat egrediens genitaleis per Veneris res. Item apud Vlpianum libro V. Nec reperire cibum iungi per Veneris res. libro primo de adulterijs legitur: Pomponius ſcribit, in ipſis rebus Veneris deprehenſum occidi, & pro eodem habuere Græci τὰ ἀφροδίσια. Hæc uerò ideo, quòd facultas animalium æternam propagationem generandi, ad Venerem translata eſt, ut cuncta per coitum maris fœminæq; gignerentur.

A ſatu dictus Saturnus: ex quo igneis] 37

Cùm

Cùm ſemina rerum omnium poſt cælum gignendarum, de cælo fluere crederet Varro, Saturnus cæli filius habitus & cuius cauſſa à cælo eſt, à ſatu etiam Pompeio libro XIII. *ubi de* Opimis, *dictus uidetur. Macrobius ſcribit, propter abſciſſorum pudendorum fabulam, etiam Latinos Saturnum uocitaſſe,* παρὰ τὴν σάθην, *quod membrum uirile declarat, ueluti Sathunnum. Præterea apud M. Tullium Saturnus appellatus eſt, quòd annis ſaturetur. Vetus huius loci lectio habebat,* &c quod ignis, *ſed illa proximè ſuperioribus non conueniunt. Neque enim quòd ignis Saturnalibus mitteretur, ideo Saturnus à ſatu nomen habuit, imò potius econtrà. Ego in paucis literis parua admodum uſus licentia, poſui,* ex quo igneis: *ut quoniam ſine igneo calore neque naſci quicquam, neq; augeri poteſt, & eius ſatu cõcipiuntur, naſcuntur, ſuſtentantur omnia, ideo ignes cereos Saturno accendebant, quemadmodũ eſt apud Macrobiũ, lib.* 1. *cap.* 7. & 12. & *ut ait Varro, humiliores potentioribus muneri dabant, quia ſcilicet candelis pauperes, locupletes cereis utebantur, quod ex ueteri more Sex. Pompeius libro* III. *commemorauit.*

38 Quía mortales omnes, atque arbores, herbáſque iuuat hic omnes] *Anteà excuſi ſic ferè ſcriptum habebant, niſi quòd erat in eis,* herbáſque omnes iuuat, quod hic omnes: *adiectiuũ tranſpoſui, relatiuum ſuſtuli, quòd uel ex ſcriptorum uitio, uel gloſſematum nimia diligentia, in contextum Varronis irrepſit. Auguſtinus legit,* qui mortales, atq; vrbes, belluáſque &c. *Sed præcedens præpoſitio cauſſam requirens fecit ut* quia *magis probarim. Quod manu ſcriptus ſuadet,* vrbes, *probabile non eſt: ſuperuacu*

uacuum enim eſſet dixiſſe, Iouem iuuare mortales atque urbes, pro ciuibus, quaſi uerò alij præter mortales in urbibus habitent. Si quis tamen vrbes, belluáſque, *quàm* arbores, herbáſque *malit, ego opinionem meam expoſuiſſe contentus, non admodum repugnabo.* Hoc *tantum dicam* Ennian*am originationem,* Ciceroni, Varroni*q; probatam, à* L. La*ctantio improbari ſubtiliſſimè, libro* I. *Inſtitutionum, cap.* II.

Nam tum eſt conceptum, exínde cum 39
exit, quod oritur] Q. *Ennium, neſcio an ex libro* Ann*alium ſexto, ibi, Tum cum corde ſuo diuum pater atque hominum rex Effatur-qui* Iouem *antonomaſticῶs, ut ait* Fabius, *hoc in loco intelligit, autorem habet* Varro, *& eius appellationis cauſſam ſtudioſè quærens, non animaduertit ad illud* Homericum, πατὴρ ἀνδρῶν τε, θεῶν τε: *ſed nimio* Latinæ *linguæ ſtudio raptus* Iouem *dici patrem putauit, quòd omnia pateficeret, & inter cetera,* ipſum ſemen: nam tum eſt conceptum, exínde cum exit quod oritur, *id eſt, ex quo primum ſemen quod oritur, apparet, tum conceptum eſſe cernitur. Ita uerò ex ingenio repoſui, modica uſus libertate, cùm in ſcripto eſſet,* & inde, *ſenſu obſcuriore multò, quàm cùm* & idem *legebatur.*

Putabant hunc eſſe Sanctum à Sabina 40
lingua] *Sabum* H*alicarnaſſæus libro ſecundo commemorat, à quo Sabini conditi, ait in* Originibus M. Cato, *huiusq; gentilem Sangum pronuntiant Sabini, Sanctum* Romani, *Sagam* Barbari, *à quo & ſagi primi Tuſci, id eſt, pontifices, & ſacri expiatores.* L. Firmi*anus refert, Sabinos Sancum ſumma ueneratione coluiſſe: in quo ſimilitudini literarum* C, *&* G, *apud Feſtum libro* XIV. *ſcri-*

ptio

ptionis uarietatem tribuamus oportet. Quam ob rem non deerunt quibus hoc loco melius uidebitur legere, Sancum, *uel, ut anteà alij tentauerunt,* Sangum, *non autem* Sanctum, *ut eſt antiqua lectio. Sed noſter Varro Sabinam appellationem minime quærit, tantum ſignificat, Sancti nomen additis quibuſdam literis, in Latiũ è Sabinis deductum fuiſſe. Inde eſt quod Ouidij Faſtorum libro VI. reperias,*

Quærebam Nonas Sancto Fidiône referrem,
An tibi ſemipater, tunc mihi Sanctus ait,
Cuicunq; ex illis dederis, ego munus habebo,
Nomina terna fero, ſic uoluere Cures.
Hunc igitur ueteres donarunt æde Sabini,
Inq; Quirinali conſtituere iugo.

De qua quidem æde unici numinis, trino nomine appellati, antiquarij omnes conſenſerunt. Rectè igitur apud Aelium Gallum, cuius uerba recitat Varro, numen idem exiſtimabant Sancti, Dijq; Fidij & Herculis eſſe: quemadmodum legas Sexti Pompeij libro XI.

41 Diuiana appellata] *Sipontinus Pontifex legit* duana, *ſed is ſibi fortaſſe errorem nouum ex ipſa emendatione fecit. Porrò luna ut per graduum aſcenſionem, ſigna percurrit, & cælum peruagatur, ex eo loco ubi noua cum ſole fuit:* hinc *ait Varro,* quòd in altitudinem & latitudinem ſimul *ac ſol, qui Ianus quaſi Eanus dictus eſt, Cornificij Etymorum libro III. Diuiana, quaſi Diua Iana, & Eana appellata: quæ dum in orbem ſuper cælum uertitur, quẽadmodum alij planetæ per ſigna in altitudinẽ, & reſpectu ecliptici in latitudinem, cùm ex eo quod iret, Iana eſſet, Diana dicta eſt appoſita D, litera, quam I literæ ueteres ſæpe decoris cauſſa adijciebant: &*

ita P.

ita P. Nigidius apud Macrobium libro primo, pronuntiauit. Animus tamen adhuc planè non quieſcit, cùm nulla mihi diſcriminis conſtet ratio, cur Luna potius quàm Venus, quæ ſolem propius comitatur, ut ille Iani nomen habet, ita Iana, appelletur. Tremelius certè Ruſtico Varroni libro primo, cap. 37. Ianam lunam octauo die quo creſcit, & quo ſeneſcit, appellat. Quibus ex uerbis niſi uerum autoris ſenſum quod maximè uereor, non exculpſi, quæ Varro ſcripſit, niſi Sibylla legerit, interpretari alium reor poſſe neminem.

Quaſi proſerpens beſtia] *Plauto, quem hic* 42
noſter autorem habet, compoſitum uerbum proſerpere, pro ſimplici familiariſſimum eſt, ut Aſinariæ, act. III. *Scen.* 3. *Fac proſerpentem beſtiam, duplicem ut habeas linguam.* Item *Perſæ, act.* II. *ſcen.* 4. *Tanquam proſerpens beſtia bilinguis.* Itē *Pœnuli actus* V. *Scen.* 2. *Biſulci lingua, quaſi proſerpens beſtia. Item & Stichi act.* V. *ſcen. 4. ſuſla Celeriter tibi buccas, quaſi proſerpēs beſtia.*

Quod naſcitur igneſcit, ideo calet] *Vete-* 43
ris libri & formis excuſorum lectio fuit, ignis ſcindit; *ex alio manuſcripto,* ignis gignit: *ſed utraq; corruptiſſima eſt. Quam ob rem quidam ex Italis uir doctus & in ſcrutandis ueterum monimentis anxiè diligens, tentauit legere,* igneſcit, *cuius coniectura mirum in modum nobis placet.*

Fulgor fulménque & fulguritum, quod 44
fulmine ictum, vt Phaëton] *Anteà legebatur,* fulménque & fulgur, quod fulmine ictus Phaeton: *ſed eiuſmodi lectionis frigus eam ut improbem, facit. Neque enim fulgor & fulgur, quòd idem ſignificent, bis ſcribenda fuerunt, tum ad ea Phaetontis iacta*

men

mentio, non niſi ineptè accommodari poteſt. Ego *in eo quod ſcripſi, mihi paululùm quiddam permiſi, ſicq; ex* Feſti *autoritate de ijs nominibus ſtatuo: à uerbo fulgere, quod pro ferire priſci dicebant, fulgorem dictum eſſe, in eadem qua fulgur acceptione: & cùm fulgores colluceant, translatitiè fulgere dicuntur, quæ ſplendorē habent. Quod cum bona* Varronis *uenia dictum uelim, ut & hoc, ſcilicet, non à uerbo fulgere, fulmen, ſed à flammæ fluore appellationem habere. Ceterùm à fulgure* Plautus *ait in* Trinummo, *fulguritaſſunt alternæ arbores: & hoc loco Varro ſcripſit, fulguritum quod fulmine ictum, tactum, exuſtum, ut ait* Nonius. *idemq; libro* VI. *Sex.* Pompeius *ſcribit.* Exemplum *autem fulguriti* Phaëtontis *noſter hic autor ſubiunxit: nanque aduerſus illum Iupiter, ut ait* Ouidius,

Intonat, & dextra libratum fulmen ab aure
Miſit in aurigam - & infrà,
At Phaeton rutilos flamma populante capillos
Voluitur in præceps, lōgoq; per aëra tractu Fertur-

Eam *ob rem ueriſſimè à* Varrone *ſcriptum apparet ictum fulgure* Phaëtontem, contrarijs dijs: *ſimiliter enim* P. Cornelius Annalium *libro* XIII. *ſcribit, quod mœnibus cingebatur, fulguribus diſcretum eſt, ut quaſi infenſantibus dijs exitio tradi uideretur.*

45 Nymphæ Commotiæ ad lacum Cutilienſem] *Peruetuſti codicis autoritati coniunctam rationem ducē habui in mutādo, quod hic erat,* Comitiæ: *dicta uerò fuit nympha* Commotia, *quòd aſſiduè fluctuare, & commoueri cerneretur.* De *qua, & lacu Cutilienſi hæc ex Varrone commemorat* Macrobius Saturnal. lib. I. Pelaſgi, *inquit, cū ſedibus ſuis pulſi, diuerſas terras petiſ-*

ſent conſt

ſent, confluxerunt pleriq; Dodonam: & incerti quibus adhærerent locis, eiuſmodi accepere reſponſum:

Στείχετε μαιόμενοι σικελῶν Σατυρνίαν αἶαν
Ἠδ' ἀβοριγενέων κοτύλην, οὗ νάσος ὀχεῖται
Αἷς ἀναμιχθέντες δεκάτην ἐκπέμψατε φοίβῳ,
Καὶ κεφαλὰς ἅδῃ, καὶ τῷ πατρὶ πέμπετε φῶτα.

Acceptaq; ſorte, cùm Latium poſt errores plurimos appuliſſent, in lacu Cutulienſi enatum inſulam deprehenderunt. Ampliſsimus enim ceſpes, ſiue ille continens limus, ſeu paludis fuit, coacta compage, uirgultis & arboribus in ſyluæ licentiam comptus, iactantibus per omne mare fluctibus uagabatur: ut fides ex hoc etiam Delo facta ſit, quæ celſa montibus, uaſta campis, tamen per maria migrabat. Hoc igitur miraculo deprehenſo, has ſibi ſedes prædictas eſſe didicerunt, uaſtatisq; Sicilienſibus incolis, regionem occupauere.

Plautus dicit: Quod ille dixit, qui ſecundo vento vectus eſt, tranquillo mari] Initio Ciſtellariæ Plautini omnes ad unum codices, non ut Varro legit, ſed ſic habent, 46

Quod ille dixit, qui ſecundo uectus eſt mari,
Ventum gaudeo ad te Ecaſtor –

Nos igitur quid dicemus? mendum'ne in Plautinis exemplarijs omnibus, an Varronem ipſum πολυγραφώτατον à Cicerone appellatum, memoria uacillaſſe? Illo certè modo quo Plautus à Varrone citatur locutus fuiſſe, idem & ad hunc locum aptius dixit Sticho,

In portum uento ſecundo, uelo paſto peruenit.

Polluces] Ita ueteres ſcripſiſſe ait Varro, quod ego Plauti Bacchidibus autoritate confirmo, ibi, Caſtor, Polluces, Mars, Mercurius, Hercules. 47

48 Larundæ, Termino, Quirino] *Priſci colebant deam Mutam, ex qua natos credebant Lares, eamq́; Maniam, & Laram, & Larundam nominabant: ut eſt apud Macrobium, & Lactantium libro primo: quæ ideo refero, ne quis ueriorem* Larum deæ *hoc in loco ſcriptionem putet. De Quirino quod hîc legitur, templum illi Tatium uouiſſe, uix eſt ut credi poſſit: Romulus enim qui Tatio ſuperuixit, non niſi poſt mortem Quirinus eſt appellatus. Quare Lilius Gregorius tentauit legere,* Carino: *ſed eiuſmodi dei nomen in literis nunquam inueni. Igitur quod ad Quirinum attinet, de duobus alterum, quod uix auſim dicere, neceſſe eſt confiteri, aut maximos annales falſos, aut Varronem parum fideliter illorũ uerba retuliſſe. Ceterùm T. Tatius Sabinorũ rex in ipſo diſcrimine aduerſus Romulum pugnæ, fana ſacellaq́; uouerat dijs, quorũ hic autor ex annalibus meminit. Ea poſtea in monte Tarpeio conſecrata, & inaugurata fuerant, quæ cùm exauguraret Tarquinius Superbus, aues in Termini fano non addixerunt, quemadmodum Liuius libro primo commemorat.*

49 Primum generatim nominem alites ab alis, volucres à volatu, deinde nominatim] *Quod mihi ratio contextus exigere uiſa eſt, quibuſdam uerbis tranſpoſitis, è proximo loco in proximum tranſtuli. Id an feliciter, uiderint qui eiuſmodi uulgarem lectionem expendent,* primum nomen nominem alites, aliis volucres à volatu, deinde generatim. *Manuſcriptus habet,* primum nominem nominatim alites ab aleis, &c.

50 Ex Attica Progne in luctu facta auis] *Pandionis filiæ Progne & Philomela, nomine, ut opinor, igno*

ignotæ nemini ſunt. De Philomela plerique luſciniam factam tradidere, & id uulgus credidit, ut miretur Martialis eam garrulam auem, quæ puella muta fuerit. Sed longè aliter quàm poëtæ fabulētur, Phocenſes Tereum in Daulide infanda illa facinora feciſſe, & Philomelam in hirundinem mutatam crediderunt. Quorum niſi fides uana eſt, Progne altera ſoror in luſciniam transformata rectè Varroni uidetur, qui, ut credibile eſt, in hoc Ariſtophanem in Auibus, eſt ſecutus autorem. Hæc uerò niſi placent, perſonas confudiſſe Varro uideri debet, licentia ab ea non diſsimili, qua poëtæ rerum affiniū hiſtorias ſæpe confundunt, ut Seruius Maurus ad illud III. *Georgicon obſeruauit, Talis amyclæi domitus Pollucis habenis. Sed neq; ſoli poëtæ, at idem committunt oratores, ut ipſe M. Tullius,* περὶ τελῶν *libro primo, ibi, mors, quæ quaſi ſaxū Tantalo ſemper impendet. Quòd autē paulò ſuprà* luſciola *legebatur, ſuſtuli, & ex fide libri ſcripti poſui,* luſcinia: *neq; enim id nomen, ſed potius* luſciniola, *cuius Plautus initio Bacchidum meminit, eo in loco potuit, debuit'ue placere.*

Graculi, quod gregatim] *M. Fabius libri pri-* 51
mi, capite 10. *irridet merulæ & graculi Varronis ety-*
mologias: hanc maximè, quòd nomen ex uocibus auium
duci manifeſtum habet.

Atque eas diſſoluere: vnde lytra] *Sic ha-* 52
bet liber Auguſtini: anteà excuſum erat, diſſoluere, ab lytra: *ex quo facio coniecturam, Varronem è Græco nominis huius originem duxiſſe, atque ita ſcripſiſſe,* ἀπὸ τῆς λύσιος, *id eſt, à ſolutione. Similiter enim apud Sex. Pompeium libro x. ſcriptum reperio. In hoc tamen quod ſequor ex aliquot literarum ſimilitudine, diuinatio-*

nem meam potius, quàm codicum teſtimonia, ut alijs credendi neceſſitatem afferre minime poſſum, aut uellem etiã cùm poſſem, uidebũt ingenioſi ac docti uiri, noſtráne coniectatio, an uulgaris lectio ſit melior: fortaſſis etiam nouam aliquam inueſtigabunt.

53 Conſul fiat] *Aliàs nec illepide legitur,* fuat, *pro, ſit: ut Plautus in Captiuis ait, Si fuat occaſio. Quòd autem Accianum illud refert Varro,* qui recte conſulat, *intelligit qui recte iudicet, ſic enim ueteres loquebantur. Vnde adhuc remanet illud, rogat boni conſulas, id eſt, bonum iudices. Hanc certè originationis quæſtionem ridet M. Quintilianus. Ceterùm noſter Varro conſules dictos quòd conſulerent ſenatui, ſcripſit libro* II. *de uita populi Romani.*

54 Qui plebem defenderent in ſeceſsione Cruſtumerina] *Liuius, Sextiq; Pompeius & Pomponius referunt, plebẽ trans Anienẽ, in montẽ ab urbe paulo ultra tertium milliarium ſeceſsiſſe, ubi creatis Tribunis plebis, qui ſibi aduerſus patres auxilio eſſent, diſcedentes locum Ioui conſecrauerunt. Is ſacer mons dictus in agro urbis Cruſtumeriæ fuit, à qua tribus Cruſtumerina apud Feſtum libro* III. *dicitur: cui ſcriptioni cõcinit illud ſeptimi Aeneidos,*

Ardea, Cruſtumeriq́;, & turrigeræ Antennæ.

Quare licet apud Liuium, & in ea Ciceronis pro Balbo, Cruſtuminium & tribus Cruſtuminia legatur, attamen ex Pompei, Vergilijq́; ſuffragio, ueterem hoc loco lectionem retineo: de qua pluribus uerbis certaſſe Sigonium libris Emendationum non ignoro, ſed quid tandem ſentiat, cùm ad manum eius ſcripta non habeam, memoriaq́; non ſuccurrat, dicere ſuperſedeo.

Vt eſt ſumma in populum Romanum 55
dictatoris, à qua is quoque magiſter populi] *Vetus erat lectio,* ſumma populi dictator: à quo &c. *liber Auguſtini addidit ſolum,* Romani. *Ego ſic ſcripſi, uti filum orationis uiſum eſt poſtulare: cùm ſit ſupra de magiſtro equitum,* ſumma poteſtas huius in equites, & adcenſos, vt eſt &c. *Quò pertinet Liuianum illud libro* VIII. *ne populus Romanus in ſe potiſſimum dictatorem, & ius dictaturæ extinguat. Addo quod Andreas Fiochus Florentinus, autor illius libelli, quem uulgus Feneſtellæ exiſtimat, ubi de dictatore, ita ex hoc loco ut uidetur, ſcribit, Summũ ei in populum ius, ſummaq; poteſtas fuit. A qua quidem poteſtate, idem magiſter populi dictus eſt. Ad hoc Seneca teſtis accedit, epiſtola* CIX. *ad Lucilium, ibi, Philologus notat ex libro Reipublicæ Ciceronis, eum quem, nos dictatorem dicimus, & in hiſtorijs ita nominari legimus, apud antiquos magiſtrum populi uocatum. De dictatore quod ait Varro, à conſule ſolitum dici, accipe, fuiſſe tempus cùm ab uno conſule dici poſſet, nec dictatorem populus tum creare poterat, ut eſt apud Liuiũ libro* XXII. *ſed cum tempore ab anguſtijs iuris eius ex decreto Senatus receſſum eſt, quemadmodum idem libro* XXVII. *teſtatum reliquit.*

Fratria eſt Græcum vocabul. partis ho- 56
minum, vt Neapoli etiam nunc] *In literis inuenio, Athenienſium ciuitatem in tribus quatuor diſpertitam, & harum quamque in* φρατρίας *tres diſtributam fuiſſe. Sic fratria eſt pars populi, quæ tempore Varronis ita uel* Neapoli, *uel in* Apulis, *quorum utrunq; legitur, erat. Quare non ſatis probo, quod quidam apud*

Herodotum de uita Homeri, *pro fratria collegium tranſtulerunt.* Appianus *certè aliã uim eius nominis ſignificat, extremo libro* III. *cùm ait,* Curias *eſſe* Romanis, *in quas plebem diſtribuerent, ut* Græcis *fratrias.* φρατρίαι *uerò* ἀπὸ τῶν φρεάτων, *id eſt, à puteis nomen ducunt, qui inter fratres & tribules communes erant.*

57 Quas in tugurijs certis] *Subſtuli quod uulgo legitur,* auguriis, *& ita ſcripſi, uti uideo* Pomponium Lætum *hoc in loco legiſſe, & manſcriptus ſic habet.*

58 Vt iuſtum conciperetur bellum, & vt fœdere] *Locus hic cùm in chirographis haberet,* bellum, & inde deſitum, &c. *mẽdoſus* Italis, *& litura emendandus uiſus eſt: eorum ego ſcriptionem facilè ſecutus ſum, & pro tempore ſubſcripſi, eò libentius, quòd uideam eundem* Pomponium *pro ſuis* Varronis *uerba referentem, illa,* &. inde deſitum, *quaſi non haberet, minimè retuliſſe.* Andreas *tamen* Fiochus *ubi de fœcialibus uerba facit, inquit, cùm uerò pugnare deſitum eſt, fœdere fides pacis conſtituitur, ſubindeq;* M. Varronem *teſtem citat: quibus ex uerbis index de ſe ipſe eſt,* & cùm pugnare deſitum, vt fœdere &c. *hoc loco legiſſe: quæ mihi inter ceteras ſcriptiones magis placet, ſi in libris liberè quid ſentiam, dicere liceat. Sed antequam peritiores totam rem expenderint, facinus audax fuerit, pro probatione coniecturam, & opinionem pro ſententia publicaſſe, & aſcititia pro germanis ipſius autoris in contextum intuliſſe.*

59 Hypſicrates] *Manuſcripti ferè omnes uitioſi ſunt, alijs enim* Iſocrates, *alijs* Iſicrates, *alijs* Iphicrates *ineſt. Ego malo* Hypſicratem, *celebrem* Grammaticum, *cuius cùm libri ſanè nobiles eſſent, ſuper ijs quæ à* Græ

à Græcis accepta ſunt, Cloatius Verrius eum in libris Verborum à Græcis tractorum autorem habuit, apud A. Gellium libro x v i. *cap.* 12.

Plautus: Agite] *Sext. Pompeius refert eadem Plauti, ſiue, Plautij uerba, ſed ex qua comœdia ob exeſas in libro uetere literas, non liquet. In Plautinis ſanè* x x. *ſuperſtitibus hunc uerſum minimè reperias.* 60

Claſſes comitijs comitiatum aduocant] *Anteà legebatur* ad comitatum vocant: *quòd ſi quis ab autore ſcriptum putat*, ad comitiatum vocant, *forma qua apud Liuium plebem Brutus ad concionem uocat, non admodum impediam: cùm pro cœtu hominum, comitiatus, apud M. Tullium reperiatur. Ego tamen poſui quod magis probaui, & quod ingenioſos ratus ſum magis probaturos. Supino* comitiatum, *M. Meſſala Augur libro de auſpicijs primo, uſus, hoc modo: Coſſ. ab omnibus magiſtratibus & comitiatum, & concionem auocare poteſt. Prætor & comitiatum & concionem uſquequaque auocare poteſt, niſi à Coſſ. Minores magiſtratus nuſquam nec comitiatum, nec concionem auocare poſſunt. Ea re, qui eorum primus uocat ad comitiatum, is rectè agit. Simileq; uerbum eſt in lege* XII. DVM FVNVS EFERTVR NE INCOMICIATO: *& in Faſtis, ut libro ſequenti legitur, dies* QVANDO REX COMITIAVIT. 61

Venator à vento, quòd ſequitur feram ad ventum & in ventum] *Sic doctis quibuſdam uiris ſcribendum ex ingenio uiſum eſt, quorum ego opinionem maximè probabilem ſemper creui: & ex hoc imprimis, quòd uulgus hic nullo ſenſu legeret,* venator à venatu quòd ſequitur verbum aduentum 62

& inuentum.

63 Inde peculium primùm, hinc peculatum furtum publicum] *Cùm eſſet etiam in ſcriptis,* id enim pecul. *ex ingenio & conſultò mutaui: addidiq; Feſtum ſecutus libro* XIV. *furti nomen: Quòd nõ reperiam dici peculatum priuatum, malè recipi in Varronis ſcripto putaui, quod antea legebatur,* peculatum publicum. *Ceterùm licet libri ueteres habeant,* pediſſecum: & peculatoriæ oues, aliúdue quid: id enim peculium primùm, hinc peculatũ publicum, primo vt cum pecore diceretur multa, & id eſſet coactum in publicum, ſi erat auerſum, ex qua fructus maior. *Hinc eſt quod ego mentionem ouium mentioni multæ coniunxi, & primi nomen ſecundò ſcriptum iure mihi uideor ſuſtuliſſe. Neque ignorant ingenioſi quàm facilè, frequenterq; in autorum ſcriptione lineæ tranſponantur, uerbaq; multiplicentur: quod hoc ſanè loco filum orationis euincit. Dicit autem Varro peculatum eſſe in auerſione eius quod erat coactum in publicum, putà, cùm quis pecuniam ſibi ex ærario attributam, auertiſſet, autore Cicerone in Verrem,* II. *&* V. *quò reſpexit Varro, ibi,* ſi erat auerſum.

64 Hæ à terra: & ipſum frumentum quod ad exta aulicoqua ſolet addi, mola, ea eſt ex ſale, & farre molito] *Erat hic, ſed* hæ à terra, etiam frumentum, quod exta loco quo ſolẽt addi ex mola, id eſt, &c. *ſicq; Achillis Maphei uetus habuit liber, quo multũ uſus Auguſtinus. In alio eſt,* exta ollica. *Verũ hic locus adeò deprauatus eſt, ut niſi quaſdam quo modo ſcripſi, literas mutes, nullum*

hinc

hinc ſenſum eruere poſsis. Initio *aduerſatiuam ſuſtuli, quæ ſuperfluebat, & in confirmatiuam mutaui: locutus autem* Varro *de frugibus & frumento, dicit,* hæ à terra, *quaſi diceret, geruntur, uel ſunt.* Quod legebatur, etiam frumentum, *erat corruptum ex his literis,* & iūm; *quod* & ipſum *breuiter ſignificabat, ut apud* Firmianū iam, *pro* ipſa *ſcriptū* P. Faber *admonuit: idq; malè* iam *à librarijs olim tranſcriptum, & nunc falſo creditur. Ceterùm ſicut apud* Pompeium *libro primo, ueteres aulicoqua exta, quæ in aulis coquebantur dicebant, id eſt, elixa, ſcripſi,* exta aulicoqua. *Ibi quod* Italis *placuit,* exta olla coqui ſolent addita mola, *forſitan ex eo quòd* Feſtus *libro* x i. *ſcribit,* Mola *uocatur etiam far toſtum, & ſale ſparſum, quòd eo molito hoſtiæ aſpergebantur: nobis ideo nō probatur, quoniam extis addi non mala, ſed far, ipſum'ue frumentum ſolebat.* Huc *pertinet quod* Valerius Maximus *de inſtitutis antiquis cap.* 172. *ait,* In *ſacrificijs mola ex farre, & ſale, & aqua conſtat: exta farre ſparguntur.* Quam ob rem quod dicit Varro *eſſe molam ex ſale & farre, intellige aqua molito. Sanè qui noſtram coniecturam non probabunt, ſedulitatem fidemq; uerè accuſare non poterunt.* 65

Dicti à globo globuli] *Sic formis excuſi, & quidam ſcripti codices habent: & ita erat apud Catonem in* Re *ruſtica* 79. *Globulos ſic facito. Sed ibi* Globos P. *Victorius ex antiquis libris legit, & ita quoque ſcriptum ſe hoc loco animaduertiſſe ſcribit.* 66

Pulmentum, vt Plautus] *In uiginti* Plautinis *ſuperſtitibus comœdijs id nomen nō reperio: ſed eo uſus* Ho*ratius libro* II. *Sermo. Satyra* II. *ubi & pulmētaria dixit.*

Quæ minus cruda eſſe poterant] *Placuit* 67

hoc loco uiri docti cõiectura, ex qua nimis, *in* minus *commutatum: facilis enim error fuit in affinibus literis. Simile nanque peccatum apud Vlpianum animaduerti, de edicto,* NE QVID IN FLVMINE PVBLICO, *ibi, ne deriuationibus minus conceßis flumina exareſcant. fuit enim ab ipſo autore nimis, non minus, ſcriptum, idq́; mihi ſic ſcribendum uidetur.*

68 Et vt ſeruarent ſalere] *Antea legebatur* ſalire: *& licet utriuſque uerbi ſenſus idem ſit, non hoc, ſed illud quo & uſus* Salluſtius, *Varronem ſcripſiſſe* Diomedes *exiſtimat, libri* 1. *cap.* 4.

69 Græci ſigillatim, vt ouum, bulbum] *Locus hic mendoſus eſt, & eius apud me deſperata reſtitutio: uiderint ij quibus mens diuinior, & ingenium acutius.*

70 Trama quòd trameat filum, genus veſtimenti denſum] *Sic Italus quidam uir nec ineruditus emendauit, cum eſſet antè,* trama quod tranat frigus, *uel* trania quod tranat phrygium id genus veſt. *Sanè uetus utraque lectio uanißima eſſe cernitur: quò magis nouæ ſubſcripſi.*

71 Poculi genus διέπεσκαν] *Hoc non memini legere, ſed apud Atheneum & apud Pollucem libro* XI. *διέπαστρον reperio.*

72 Plautus dicit: Intuſiatam, patagiatam, caltulam, aut crocotulam] *Ita ferè eſt in* Epidico *Scena* 4. *niſi quòd ibi legitur* induſiatam: *ex eo uerò loco* ac *quod hic erat, in* aut *ex Plautinorum librorum conſenſione mutaui.*

73 Secundum Tiberim ad Iunonium, forum Piſcarium] *Hanc lectionem ſignificat* Alexandrius *Genialium libro* II. *cap.* 12. *ut dicatur fuiſſe forum*

piſcar

piſcarium ad Iani Iunonij templum, quòd non in Tranſtiberina regione, uti quidã apud illum exiſtimant, ſed quemadmodum Publius Victor *ſcribit, erat in regione fori* Ro*mani, non longè à foro boario, intra portam Carmentalem. Facilè autem factum eſt, ut detritis quibuſdam literis* Iunium *hoc loco librarij pro Iunonio ſuppoſuerint. Hoc ſanè Iani cognomen fuiſſe, Saturnaliorum libro primo teſtatur Macrobius, & nemo, ut opinor, ignorat.*

Ait Plautus: Apud piſcarium] *Quo loco ſic* 74
habeat Plautus, me latet: huic tamen affine eſt, quod idem ait in Curculione, actus IV. *Scen.* I. *Symbolorum collatores, apud forum piſcarium.*

A Procilio relatum] *Huius teſtimonium fama* 75
apud poſteros euulgauit, cui ſtandum idem referens, cenſet Liuius libro VII. *& Ariſtides Mileſius libro* XI. *rerum Italicarum ita ſcripſerat, quemadmodum Plutarchus teſtatur* x. *Parellela. Hisq; Sextus Pompeius libro* III. *ſubſcribit. Secundam tamen quam refert Varro Piſonis ſententiam, Liuius quod mireris, libro primo ſecutus eſt.*

Mulieris ad reſtim] *Erat in libris manu ſcriptis* 76
& milies aduentu, *&* milites ad vectim, *ſed neutræ lectioni ſequentia uerba conueniunt. Quare docti cuiuſdam uiri coniectura probabilior uiſa eſt, qua colligit Varronem ex Plauti Cornicularia referre dictum* mulieris ad reſtim, quem circumeunt ludentes. *Fuit enim genus ſaltationis comicum, nomine Cordax, cuius Ariſtophanes in Nubibus, Lucianus de ſaltatione, Iulius Pollux libro* IV. *& Athenæus libro primo commeminerunt. In eo præſultor funem ducebat, quo adprehenſo, illum alij ſequebantur. Quò pertinet Terentianum*

num

num illud ex Adelphis, Tu *interea reſtim ductitabis. & illud* Horatij *libro primo* Epiſt. 10. Tortum *digna ſequi potius quàm ducere funem.*

77 Senatulum vocatum] *Apud hunc,* Feſtum Pompeium, Valerium Maximum, *&* Lampridium *reperias ſcriptum* ſenaculum: *ſed cùm ſenatus diminutio ex forma primitiui, nec aliter probanda ſit, magis placuit* P. Victoris *in libello de regionibus urbis ſcriptio. Is enim* Regione *ſexta mulierum ſenatulum locauit, quod teſte* Lampridio *in colle* Quirinali *fecit* Heliocabalus. In VIII. *locat ſenatulum aureum, de quo loquitur hîc* Varro. *Ceterùm de ſenatulis uti* Pompeius *refert, quotq; in urbe fuerint, in quibus ſenatus haberi ſolitus ſit, memoriæ prodidit* Nicoſtratus *in libro inſcripto, de Senatu habendo.*

78 Eorum duæ traditæ hiſtoriæ] *Sed tertia, quã* Liuius *libro* V. *&* Feſtus *libro* IV. *commemorant, fit mihi ueriſimilior, ſcilicet,* Doliola, *dictum locum in quo* Gallis Senonibus *inuadentibus urbem, ſacra doliolis duobus repoſita fuerunt.*

79 Mugionis à mugitu] *Cùm anteà* mucionis *eſſet, paruulam mihi immutationem permiſi, quò propius ad aliorum ſcriptorum ſcriptionem accederem. Auorum memoria qui de portis urbis tractauere, Mugoniam dixerunt, à mugitu boum.* Sex. Pompeius *libro* XI. *appellauit Mugioniam, à* Mugio *quodam, qui eidem tuendæ præfuit. Ceterùm conſtantiſſimè noſter* Varro, *portam* Mugionis *dixit, etiam libro primo eorum de uita populi* Romani, *ibi,* Ancum *in* Palatio *ad portam* Mugionis *ſecundum uiam &c. ut eſt apud* Nonium.

80 Vt ſagum Reno Galli quid gaunacumma eius ſagum] *Communi lectione conſeruata, ueterem*

terem ſcripturam quamuis perturbatam, maculoſamq́; retinui: quæ tamen fortaſſe ad ueriorem indagandam, opem ingenioſis afferre poßit. Interea uerò dum ex peritiorum coniectura, meliora expectamus, tentari poteſt ex priſcis ueſtigijs, ueráne germanaq́; Varronis hæc ſcriptio fuerit: In hís multa peregrína, vt à Senoníbus Gallís, queís gauſapína eſt, vt ſagum & amphímalon, Græca. *Ad hunc locum purgandum ſatis fortaſſe erit ita legere: ſententia enim nullo adiuncto uerbo plena & abſoluta uidetur. Quoniam tamen Galli Narbonenſes pro medio ueſtimento mulierum retinent adhuc gannacam, inter cetera uetuſta imcomperta, huius quoque lectionis ueritas in incerto poſita eſt. Nihil igitur ſtatuo: quòd non liqueat gauſapinam fuiſſe uerbum Gallicum, in quo quæſtionis cardo uertitur. Strabo ſanè libro quinto refert, in agro Patauino è lana facta laudatiſsima tapetia, & gauſapinas, ceteraq́; eiuſdem generis amphimala & heteromala. Sed ager Patauinus in Gallia togata non fuit, ut Liuius ſignificat libro quinto. Quam ob rem in hoc cogitatio non hæret. Eum autem qui Senones Gallos uſos alterutro nomine gannacæ, uel gauſapinæ probauerit, palmarium credam reperiſſe.*

Latinũ toral, quod ante torum] *Sic ſcripſi,* 81
eo neglecto quod erat torale. *Idem enim Varro libro primo de uita populi Romani, inquit,* Hoc quod inijcitur, toral dicitur: *lecticam quæ inuoluebant, ſegeſtria appellabant.* Ex Nonio.

A duobus decuſsibus viceſsis] *Anteà lege-* 82
batur biceſsis, *ut ſeneſcentibus Latinis literis librarij promiſcuè in Vibio, Iubentio, Minerba, olibeto, & ſimilibus, b & u, utebantur: unde in plures libros, plurimaq́;*

dict

dictiones, mendæ iſtius indoles inoleuit. Ideo uerò malui viceſsis, *quia ſi pro decem aßibus Terentius noſter poſuit decußis, idem pro uiginti uiceßis uideri debet ſcripſiſſe. Hoc ipſe ſignificat, cùm per occupationẽ tacitæ obiectioni occurrens, ait,* quod dixi ſolum à duobus decuſsibus, viceſsis. Reliqua conueniunt, vt triceſsis à tribus. *Habet autẽ* ſolum, *quia triceßis, pro ter denis aßibus, non tam triginta, quàm tres aſſes ſignificare uidetur.*

83 Seſtertius, quod ſemiſtertius. Dupondius enim & ſemis, antiquus ſeſtertius] *Placet hoc L. Voluſio Metiano libro de aſſe, Sexto Pompeio libro* XVII. *&* IIXX. *Apulio apud Priſcianum libro* VI. *Aruntioq; apud eundem libro ſingulari de ponderibus, mihi tamen diſplicet ideo, quòd in dupondio aſſes duo, & ita quatuor ſemiſſes ſunt, eaq; ratione antiquus ſeſtertius ſemiſſes quinque ualuerit. Verius ne igitur Flauio Chariſio libro primo Inſtitutionum uidetur dici ſeſtertius, quòd de tribus aßibus ei ſemis tertius deficiat? Doctiores uiderint cùm particula ſe, demi indicet dimidium, an non melius ſit dicere ſeſtertium, quaſi qui tertij aßis demat dimidium. Hoc, ni prorſus fallor, Chariſius Soſipater, ſi minus explicuit, maximè certè cogitauit. Is uerò fuit antiquus ſeſtertij ualor, ex quo enim denarius* XVI. *aßibus æſtimatus eſt, ſeſtertius quatuor aſſes ualuit, Plinio libro* XXXIII. *cap. 3. & Metiano autoribus.*

84 Pœna à puniendo, vel à pœnitendo, quod poſt peccatum ſequitur] *Excuſi formis habuerunt* à puniendo, vel à ponendo, aut quod &c. *Ingenioſe fortaſſe quod tento magis placebit,* vel à ponè, vt quod poſt peccatum ſe-

qui

quitur. *Sed tutius eſt pœnam dicere, à Græco* ποινὴ *originem duxiſſe.*

De aliis rebus vtrique quinquagenos æris ad pontificem deponebant, de aliis rebus item certo alio legitimo numero aſsium] *Quod erat hic,* quingentos æris ad pontem, *in dictionibus duabus poſterioribus uitioſum ratus ſum, itaque reſpui: priores duæ ſuſtineri poſſunt. Quod manu ſcriptus quidam habet,* ad pontificem dependebant, *ob æris appendendi uetuſtum morem, tolerabile eſt: ego tamen uerbum deponere, putaui ad ſponſionem, quæ præcedebat ſacramentum, accommodatius. Cùm enim quis alterum in alienam poſſeßionē quòd irruiſſet, interdicto agere inſtituebat, ſponſio intercedebat, qua non tantum poſſediſſe reum actor contendebat, ſed etiam rem actoris propriam: econtra, reus non ui, non clam, non precario poſſediſſe ſe, ſed & ſuum poſſediſſe aſſeuerabat. Hæc coram prætore fiebant in iudicio, ubi ex lege Papiria Treſuiri conſtituti, populum ſponſionis teſtem rogabant, & ab utroque litigantium ſacramentum exigebant, id eſt, ut in alijs rebus quinquaginta æreos aſſes, in alijs rebus quingentos ad pontificem deponerent: à quo poſtmodum niſi ex Triumuirorum iudicio, uictor depoſitam à ſe pecuniam auferre non poterat. Depoſitum autem à uicto, ærario augendo, & tuendis ſacris ciuitatis publicabatur: ex illoq; ſacramentum id æs depoſititium dici cœpit, quemadmodum Feſtus lib. XVII. prodidit. Is uerò mos fuit iuſto ſacramento contendendi, non ſolum cùm poſſeßionis tantum, de qua dixi, ſed etiam cùm proprietatis erat quæſtio, cuius rei teſtis eſt M. Fabius libri VII. capite 6. ſupereſtq; in eandem rem Valerij Ma*

rij Maximi teſtimonium, titulo de teſtamentis quæ reſciſſa ſunt, libro VII. *ubi in quæſtione inofficioſi teſtamenti ſemel & iterum indicat, ſolitos fuiſſe ueteres ſacramento contendere. Ceterùm quod fuerit diſcrimen cauſarum de quibus quinquaginta, & earum de quibus quingẽtos aſſes deponere oportebat, in re uetuſtate obruta non me pudet de ignoratione confiteri.*

86 Quod ait Plautus] *Aulularia actus* III. *Scena quinta, Megadorus ait, Vbi ad poſtremum cedit miles, æs petit.*

AD LIBRVM V.

1 Lucij prima luce creati] *Quaſi diuinanti ſic ab autore ſcriptum fuiſſe, diuerſitas exemplarium hanc mihi ſcriptionem perſuaſit, cùm in libro Auguſtini, & anteà omnibus impreßis,* luce in creatione, *& in altero manu ſcripto,* luce Reate, *nullo ſenſu legeretur.*

2 Noſtri veſperuginem: vt Plautus] *Hic Amphitruonis ſcena prima, ſic habet, Nec iugula, nec ueſperugo, nec Vergiliæ occidunt.*

Item Romæ in puluinari Solis, qui iuxta ædem Quirini colebatur, legi olim VESPERVG. *pro ueſperugine, M. Fabius teſtis eſt. Addo quod Vitruuius libri* IX. *capite 4. ſcribit, Veneris ſtella, cùm Solem ſequatur, poſt occaſum eius apparens in cælo, clarißimeq; lucens, Veſperugo uocitatur. Similiterq; ipſe M. Varro in libris de gente populi Romani, ſcripſit. Stella Veneris nobilißima, quã Plautus ueſperuginem, Homerus Heſperon appellat, & Auguſtinus lib.* XXI. *Ciuitatis, cap.* 8.

Videbimus,factum volo,i,redito] *Varro ſic ait Plautum ſcripſiſſe: uerùm eadem uerba paulò aliter infrà libro ſexto ipſe refert: tu Aſinariæ actus* III. *Scena* 3. *reperies*, Videbitur, *factum uolo, redito huc conticinio.* 3

A menſibus, intermeſtris dictus] *Fuit tempus cùm hic* intermenſis *uox inſolens poſita eſſet, ſed ex uetuſti codicis autoritate, Auguſtino uindice,* intermeſtris *in lucem emerſit: quam dictionem Plinius alicubi, & Portius Cato libro ruſtico, nu.*37. *uſurpauit. Ad hæc uerò, & quæ hoc loco ſequuntur Varronis uerba, ne quis receptam ſcriptionẽ commutet, néue Græcis ſubſtituat* μηνηκοῖαν, *maximè pertinet quod idẽ Varro de ruſtica libro primo, lunam ait decreſcere, quoad ueniat ad intermeſtruũ, è quo die dicitur luna eſſe extrema & prima: à quo eum diem Athenis appellant,* ἕνην καὶ νέαν, τριακάδα *alij. Et ſanè quoniam hæc ad Græcorum fontes reducit Varro, ex illis deducendum eſt, priſcos olim Athenienſes dierum numerum, & menſium rationem ad Lunæ curſum accommodaſſe, quò ab eius luce menſes auſpicarentur, & finirent. Erant autem principiò dies cuiuſque menſis duntaxat uigintinouem, quemadmodum Theodorus Gaza libro* περὶ μηνῶν *ſcribit, & poſteà Solon trigeſimum adiecit, quem* τριακόντα, *item &* ἕνην καὶ νέαν *primus omnium, ut refert Laërtius, appellauit: utpote, quod luna quæ biduo in coitu latet, quaſi uetus & noua, nondum trigeſimo die ſplenderet. Qua de re qui plura deſiderabit, is ex Suda, Polluce, & Ariſtophanis* Νεφέλης *fabulæ interprete poterit ſitim explere. Equidem luna quo tempore ſilet, ſiue in coitu eſt, Plinio intermeſtrua, Iulio Firmico ſynodica dicitur: idq; tempus* 4

Varro & Ammianus Marcellinus libro uiceſimo, intermeſtruum, alij interlunium appellant.

5 Quinto quoque anno vectigalia & vltrò tributa per cenſores perſoluerentur] Hîc vltrà temere quidam tentauerunt ſcribere: cùm enim pecunia à populo Romano imperata, quæ à ſingulis pro portione cenſus exigeretur, Tributi nomen haberet, vltrò tributa dicere Varronem oportuit, quaſi quòd ſibi ipſi de populo quilibet ciuis imperaſſet. Eodem modo locutus eſt Liuius libro XXXIX. ibi, M. Porcius Cato & L. Valerius cenſores uectigalia ſummis pretijs, ultro tributa infimis locauerunt. Quod ait Varro per cenſores perſoluere, affinitatem habet cum illa formula dicendi, qua Neratius Priſcus repetere per iudicem in libris membranarum, & M. Iulianus ad Minutium Nalem libro quarto, dixit, per iudicem petere: item Vlpianus, prohibere per prætorem, cauere per iudicem, et Calliſtratus, per iudicem repoſcere. Ad rem ipſam quod attinet, ſciendum eſt quod ex Liuij annalibus obſeruaui, Seruium Tullium VI. Romanorum regem cenſum apud Romanos inſtituiſſe, ex quo belli paciſq; munia pro habitu pecuniarum fierent, & tributum æqualiter conferretur: cenſuq; acto, tum primùm in urbe luſtrum conditum eſt. Exactis regibus cùm cenſum conſules aliquoties egiſſent, Cenſores in rempublicā quinquennali poteſtate inducti ſunt, publico curādo, & regēdis moribus ciuitatis. Deinde poſt ſeptuaginta annos Mamercus Aemylius dictator longinquitatem cenſoriæ poteſtatis grauiter moleſteq; ferēs, legem tulit, qua cenſuram intra ſpatium ſex menſium & anni coēgit: eiuſq; legis ultra ſeculum ualuit in urbe autoritas. Tandem res eò redijt, ut cenſores quinto quoque

anno

anno crearentur, qui cùm ſub ditione publicorum ius priuatorumq́; locorum, & uectigalia populi Romani *haberent, magiſtratus initio fruendos agros, portus, ſalinas, metalla, piſcariaſq́; locabant, continuo tempore de moribus ciuium iudicabant, & inter ſe ſortiti cenſum agebant, quò ſcirent numerum ciuium, ſi ita uellent, uniuerſi orbis* Romani, *& pariter aſsiduorum facultates recenſerent, ut ratio tributorum uel ſolennium, uel extra ordinem impoſitorum, minori negotio conſtaret.* Erat *autem ut quidam exiſtimant denarius argenteus cenſuale nummiſma, quod pro tributo capitis ſoluebatur.* Cenſu *perfecto, ſicuti* Seruius *exercitum* Solitaurilibus *luſtrarat, ita cenſores populum omnem qui conuenerat, purgabant: & eo modo fine cenſendi facto luſtrum condi ſolitum accepimus.* Hoc *autem uocabulo tempus quinquennale contineri, hoc in loco explicat* Varro, *in cuius ſententiam* Sex. Pompeius *tranſiuit: &* Statium Papinium, *utrunque* Plinium, Vlpianum, Paulum, Calliſtratum, *uſurpaſſe promiſcuè luſtrum & quinquennium obſeruaui. Sed in diuerſa opinione quoſdam eſſe uideo, qui luſtrum exiſtimant annis quatuor exactis, quinto incipiente conditum, & quintum dici annum, qui pariter primus eſt luſtri ſecuturi.* Et *ſanè* P. Ouidius *hoc euincere uidetur, ubi de die quæ ſingulis quadriennijs ex* Cæſaris *intercalatione, menſi* Februario *adijcitur, in* II. Faſtorum *ait,*

> Hic *anni modus eſt, in luſtrum accedere debet,*
> Quæ *conſumatur partibus, una dies.*

Ad perdiſcendum eſt ſatis] *Neſcias an hic* 6
ex Plauto, *an ille ex* Varrone *emendandus ſit: apud illum initio* Truculenti *legitur,* ad perdiſcendũ ſat eſt.

Dicti ab agóne] *Variorum autorum uaria* 7

ſententia, multiplicem Agonalium originationem pepe-rit: de qua diuerſum Varro, Sex. Pōpeius & Ouidius ſcri-pſere. Hic tamen in reddenda cauſa nominis à ritu immo-lationis ducti, libro primo Faſtorum autori cui operam damus, conſentire uidetur, his uerſibus:

Nominis eſſe poteſt ſuccinctus cauſa miniſter,
Hoſtia cœlitibus quo feriente cadit.
Qui calido ſtrictos tincturus ſanguine cultros,
Semper agátne, rogat, nec niſi iuſſus agit.

Quo loco alluſit poëta ad uerbum AGONE? *quo rex ſacrificulus hoſtiam immolaturus utebatur. Illò reſpexit Seneca libro Suaſoriarum, ni fallor,* II. *ibi, Et tu quiſquis es carnifex, cùm ſtrictam ſuſtuleris ſecurim, antequam fe-rias patrem reſpice. Bellè deridebat hæc Aſinius Pollio: Filius, inquit, ceruicem porrigat. Carnifex manum porri-gat, deinde reſpiciat ad patrem, & dicat Agón'? quod fie-ri ſolet in uictimis. Sed quis illa uerba proferat, non exi-gua inter magnos autores pugna eſt. Ouidius teſtatur mi-niſtrum, Varro ipſum ſacerdotem immolare, ferire, & an agat principem ciuitatis rogare: hucq; ſpectat quod ait ille,*

- rex placare ſacrorum
Numina lanigeræ coniuge debet ouis.

In quo res utut ſeſe habeat, cùm ſiue ſacrificulus, ſiue mi-niſter eius dicens, Agon' iuſſum expectet principis ciuita-tis, corruptè libri omnes ſcripti & formis excuſi antehac habebant, interrogatur à principe ciuitatis, *ego mihi modicam libertatem permiſi, & de ingenio ſubſtitui,* interrogatur princeps ciuitatis, *ſci-licet, an illum iubeat agere.*

8 Cum libis & ſoculo compotores ſacrifi-
can

cantes] *Viri & fœminæ ex more ueteri ſacerdotes fuere ſacrorum, quæ Varro Liberalia, priſci Bacchanalia, Græci* Διονύσια *appellauerunt. Illa uerò cùm ueteres pararent, antiſtita anus delira, temulentáq; indicebat, deindeq; heroum & nympharum habitu uiri et mulieres ornati hedera, in forum prodibant, compotoresq; per orbem circunferebant uina, liba, mella, & opera dulciaria, dicta Comicis antiquioribus Liberi bellaria: & cum his anſatam aram, in eaq; mediũ ſoculũ, quem libaminibus, ut lib.* III. *Faſtorum ait Ouidius, aſpergerent, & deinde Libero patri repertori uitis hircum immolarent: cuius ritus idem Varro libro primo Rei ruſticæ, et ex eiuſdem libris Antiquitatum Auguſtinus ciuitatis libro* VI. *cap. 9. meminit. Hæc autem hûc collata ſunt, ut loco qui uelut ignorantiæ tenebris obcæcatus, ueritatis luce carebat, nitorem priſtinum cum germana, ueráq; lectione reſtituenti mihi, ex antiquo & ab alijs quoq; obſeruato ritu, fidem coniecturis noſtris uel adiungerẽt, uel tribuerent. Ceterùm ueteri ſcriptioni, quam libri omnes & ſcripti et excuſi formis retinuerunt,* pro emptore ſacrificantes. *Oedipo opus eſt coniectore, qui Sphyngi interpres fuit.*

Forſitan hic dies ideo potius Agoniũ] *Maſſurius Sabinus libro Faſtorum ſecundo, Liberalium dies, inquit, à Pontificibus Agonium Martiale appellatur. Id uerò libris Saliorum Agonenſium autoribus, Varro manu ſuſpenſa ſcribit: & ait,* ideo potius, *ſcilicet, dies Liberalium dicitur Agoniũ, quàm Liberalia, forſitan quòd ſacerdotes eodem modo baccharentur. Quod autem Agonium Martiale dixit Sabinus, ex eo eſt, quòd ueteres numen idem Bacchi & Martis cognouerunt, quemadmodũ noſter Varro in Menippea,* ἄλλος ἔτος ἡρακλῆς, &

Macrobius libro 1. *cap.*19. *oſtendit. Qua de re qui plura à me deſiderabit, ſciat me neceſſe non habere, coniectando rem uetuſtate obliteratam, meas opiniones interponere.*

10 Eo die in atrio ſutorio ſacrorum tubæ luſtrantur] In *Faſtis Romæ* X. KAL. APR. TVB. *&* X. KAL. IVN. TVBIL. *inciſum eſt. Sed ab illis diſſentit* Ouidius, *extremo libro tertio.* Equidem *ſi* Quinquatriũ *ultimo die tubæ, ut is teſtatur, agna luſtrabantur,* XIII. *uel* XII. KAL. APR. *qui dies poſt* Idus *Martias quintus, uel ſextus erat, debuit ſcribi* Tubiluſtrium. Idem *uerò cum* Faſtis *ſentit de altero tubiluſtro, qui dies* Vulcanaliorumq; *idem erat: etſi illius interpretes ob* Regifugiorum *ignorationẽ, minus rem animaduertant. Sanè* Ouidius *nõ omnes tubas luſtratas, ſed dũtaxat ſacrorũ illorum* Mineruæ *&* Vulcani *ſignificat:* Quod *in atrio ſutorio factum, niſi hic &* Pompeius *libro* IIXX. *ſcripſiſſent, audacius de* atrio Saturio *iactam hoc loco mentionem contendiſſem.* Hoc *certè ante librũ* Auguſtini *codices impreſſi habuerunt omnes, & ita* Alexander Genialiũ II. *ca.*22. *uel ex* Varrone, *uel ex* Feſto *tranſcripſit.* Ne *quis autem* Satrij, *quod nunc in urbe uocant,* Varronem *&* Feſtum *commeminiſſe exiſtimet, uerbum hoc addo: uetuſtiora perſecutos fuiſſe hos autores, quàm id, quod atrium Pompei dictum, à Cn.* Magno *conditum, antiquarij omnes prodiderunt.*

11 Fordicidia à fordis bobus] Idem *Varro libro* II. Ruſtico *ſcripſit:* Quæ *ſterilis eſt uacca, taura appellata: quæ prægnans,* Horda. Ab *eo in faſtis* HORDICALIA *nominantur, quòd tunc hordæ, boues immolantur. Similem uarietatem in libro* Pauli Pontificis *ex* Pompeio *reperies, nempe, nunc fordas, nunc hordas boues*

prægnantes

prægnantes eſſe. Et *ſanè cùm promiſcuus* F, *&* H, *uſus eſſet, quod in fordeo & fœdo, pro hordeo & hœdo teſtatur* Quintilianus, *& noſter* Varro *libro proximè ſuperiori ex Sabinis in hirco & hœdo obſeruauit, quæ illis fircus & fœdus, facilimum factu* Varroni, Pompeioq; *fuit fordam & hordam ſcribere. Ouidius certè libro* IV. *Faſtorum ait,*

Forda ferens bos eſt, fœcundaq;, dicta ferendo,
Hinc etiam fœtus nomen habere putant.

Quòd autem adſerit Varro *in* Faſtis *Hordicalia, nos mēſe* Aprilis XVII. KAL. *Maij* FORD. *non* HORD. *marmori inciſum uidimus.*

Palilia à Pale] *Sic & apud* Ouidium *libro* IV. 12
Faſtorum *ſcriptum eſt, ibi,* – *Palilia poſcor,*
Non poſcor fruſtra, ſi fauet alma Pales.
Hoc pono, ne quis forte in diuerſam de ſcriptione ſententiam, Faſtorum *marmoreorum autoritate moueatur, cùm ſit in illis:* XI. KAL. MAI. PARIL. *& ita in chirographis Sexti Pompei libro* XIV. *legitur. Eſt autem hic, ut in* Remuribus, *&* Lemuribus, R, *&* L, *literarum facilis commutatio.*

Nonæ Caprotinæ] *Nonis Iulijs liberæ pariter* 13
ancillæq; Iunoni Caprotinæ, quam ob rem, à quóue tempore ſacrificarint, & cur Iunoni, & Nonis id cognomen inditum, belliſſimè refert Macrobius *libro Saturnal. primo, cap.* 11. *Ex eo uerò quod ſcripſi, liberas & ancillas facere, explicandum eſt quod ait* Varro, mulieres ſacrificant, *& ad ancillas referendum quod ſequitur:* ob hoc toga prætexta data eis: Apollinaribus ludis docui populum. *Quidam legunt,* cur toga &c. *nec ſatis ſcio an melius, id certè ad ea,*

quæ ſequuntur, eſt aptius. Quòd ſi per peritiores liceat aſſeuerare quæ ſentio, totus hic locus ab excriptoribus deprauatus eſt, ne tam conciſè ſcriptus ab ipſo Varrone uideatur. Etenim inter illa, mulieres ſacrificant *mihi perſuadere non poſſum, autorem non ita ſcripſiſſe,* mulieres liberæ & ancillæ: *coniecturamq́;, dicam & diuinationem meam adiuuant ſequentia,* toga prætexta data eis: *fit enim ad ancillas relatio, quarum fuit antè iacta mentio. Hoc autem ideo ſcribo, quoniam cùm, ut autor noſter libro primo de uita populi* Romani *ſcribit, toga prætexta nobilium uirorum & mulierum communis eſſet, ingenuis mulieribus eam conceſſam fuiſſe Varro, uir moris* Romani *peritiſſimus, & omnium hominum quotquot tum erant, ante eum fuerant, & poſt eum ſecuti ſunt, eruditiſſimus, minime dixiſſe, uel ſignificaſſe uideri debet. Ceterum ancillis, quæ ſub nomine dominarum ad hoſtes iuerant, habitu matrumfamilias, & uirginum ſumpto, id eſt, toga prætexta, data libertate, Senatus Romanus publico decreto, ornatum, quo tunc uſæ fuerãt, geſtare conceſſit, ut memoriæ Macrobius eleganter tradidit. Quò ſi noſter reſpexit autor, uti hiſtoriæ fide non probabile ſolum, ſed & neceſſe habemus dicere, quid ſibi uoluit Varro in illis uerbis,* Apollinaribus ludis docui populum? *Neque enim ſi in commentarijs theologicis, aut libris de antiquitate rerum diuinarum, de Apollinaribus ludis tractans, de S C. togam manumiſſis concedente, quicquam, quod tamen neſcimus, ſcripſit, ideo populum à ſe doctum potuit, aut debuit prædicare. Quare M. Varronem cùm eſſet prætor urbanus, illisq́; ludis præeſſet, orationem habuiſſe ad populum, & hac de re uerba feciſſe ex hoc loco adſerendum eſt, quod in uita eius*

recen

recenſuimus.

Vinalia ruſtica dicuntur ante XII. Kal. Septemb.] *Scriptum oportuit*, ante XIV. Kal. Septemb. *Pompeio Feſto & Faſtis autoribus. Sed quoniam locus hic, & item alter, cuius explicatio conſultò in hunc uſq; dilata, & à nobis translata eſt, interpretationem deſiderat, uideamus quid ego ex autoribus quod hûc pertineat, obſeruarim. Vinalia aut erant urbana, aut ruſtica. Vrbana uinis deguſtandis* IX. KAL. *Mai, menſe Veneri ſacro, Ioui dicata ſunt. Quò ſpectant Ouidij uerſus libro* IV. *Faſtorum,* 14

Cur igitur feſtum Veneris Vinalia dicant,
Quæritis, & quare ſit Iouis iſta dies. & infrà Aeneæ ſubijcit uerba,
Hoſtia Tyrrheno uota eſt uindemia regi,
Iuppiter è Latio palmite muſta feres. moxq; occiſo Mezentio,
Venerat Autumnus calcatis ſordidus uuis,
Redduntur meritò debita uina Ioui.
Dicta dies hinc eſt Vinalia, Iuppiter illa
Vindicat, & feſtis gaudet ineſſe ſuis.

Quibus ex uerbis apparet, uoti quod Aeneas Ioui ſacrauerat, & per Autumni tempus perſoluerat, commemorationem quotannis ſolitam Aprili menſe fieri: quod multis anſam peccandi præbuit, qui Veneri diem ideo ſacrum putauerunt, quòd eius numini & nomini maiores menſem Aprilem dedicaſſent. Verùm peritiſſimis uiris diuerſa placuit ſententia. Et Sabinus libro II. *Faſtorum ſcripſit, Vinaliorum dies Ioui ſacer eſt, non ut quidam putant, Veneri. Item noſter Varro ſubiungit*, hic dies Iouis, non Veneris. Huius cura non leuis in La-

tio. *Latini enim aduerſus Mezentium belligerantes, omnis uini libationem Ioui promiſerunt. Eam ob rem ſolitum hoc olim fieri in Latij aliquot locis, ait Varro, cùm* vindemię primùm à ſacerdotibus publicè fiebant, vt Romæ etiam nunc: nam flamen Dialis auſpicatur vindemiam, & vt iuſsit vinum legere, agna Ioui facit: inter cuius exta cæſa & porrecta, flamē prorſus vinū legit. *Ruſtica uinalia, ut ait Feſtus lib.* XVI. *mēſe Aug.* XIV. *Kal. Septēbris, Iouis die feſto erant, indicēdæ à Diali flamine, auſpicandæq; uindemiæ, quemadmodum ex ſupra ſcripto Varronis loco retuli. Sed & hunc diem Veneris ſacrum, quo ex eius templo uinum affatim effunderent, autor eſt Plutar. Problemate* XLIV. *Fuit autem utriuſque numini ſacratus ille dies, quòd tum Ioui pater Aeneas uouerat, & ut ait Varro,* quòd tum Veneri dedicata ædes, *ſcilicet, prope Colinam portam fuerat,* & horti eius tutelæ adſignantur, ac tum ſunt feriati olitores. *Quare cùm in hortis uites, uineæq; apud Romanos eſſent, ut nunc in urbe & in Prouincia ſunt, hortorumq; procuratio ad Venerem pertineret, eo nomine ruſtica uinalia inſtituta, rectiſſimè idē ſcribit, initio primi Ruſticorum. Quæ tot autorum Varronis, Sabini, Ouidij, Pompeij, & Plutarchi diſſidio componendo, & eorum ſcriptis in conſentiens de ritu ueteri teſtimonium redigendis, ſic uti ſentio, prodita cupio poſteris, ut quod iter pedibus confecimus, ipſi carpento facere poſſint. Omnes ſanè ipſius Marci Varronis auxilio & adiumento ſubleuaremur, ſi liber de uinalibus uel* περὶ ἀφροδισιῶν *inſcriptus extaret, ſed ijs cū innumeris alijs eiuſdē autoris maximo cum damno literariæ reipublicæ perijt.*

No

Nouum vetus vinum bibo,nouo veteri 15
morbo medeor] *Sic habet liber cuius poſſeſſor eſt Auguſtinus. & Feſtus libro XI. ubi hæc uerba dicere ominis gratia, Latinis populis in more poſitum refert. Alexādrius in ſuo habebat,* nouo veteri vino morbo medeor. *Alij manuſcripti,* Nouum vinum vetus bibo: Vetus vinum nouum bibo: Nouo veteri vino morbo medeor.

Angerona] *Verrius Flaccus, Sex. Pompeius, Macro* 16
bius ſic diuam appellant, ſic & eam Alexander nuncupatum legit: Plinij tamen libro III. cap. 8. legitur, Angenora *ore obligato obſignatoq; habere ſimulachrum, cui ad XII. Kal. Ianuarias ſacrificarent.*

Cui ſacerdotes noſtri publicè parentant 17
ſexto die, qui Acca dicitur] *Ita quidam ſcriptus manu, alius habet,* atra: *quod ſuſtuli, rationem pontificij iuris ſecutus. Etenim Fabius Maximus Seruilianus Pontifex in libro duodecimo negat oportere atro die parentare, quia tunc quoque Ianum Iouemq; præfari neceſſe eſt, quos nominari atro die non oportet. De Acca ex Valerio Antiate, & Maſurio Sabino, A. Gellius libri V. cap. 7. Macrobius libri I. cap. 10. amplius, ſi id tamen uerè ſcribit, X. Kalend. Ianua. ferias eſſe Iouis, quæ Larentinalia appellantur, licet apud Varronem, & Feſtum,* Larentalia *dici legas. Itaque Accæ feſtus dies atra minime dici poteſt.*

Faciunt diis manibus ſeruilibus ſacer- 18
dotes] *Nihil hic auſus ſum immutare: malim tamen* manibus eius ſac. *ſcribi: neque enim Acca nutrix conditorum urbis, Fauſtuli paſtoris coniux ſeruilis conditionis erat, quò ſeruiles eius manes dicere debeamus.*

Quod

Quod dixi, manibus eius, *ſic eſt apud* Macrobium, *ibi*, Ab Anco *in* Velabro, *loco celeberrimo urbis, ſepulta eſt, ac ſolenne ſacrificium eidem conſtitutum, quo dijs manibus eius per flaminem ſacrificaretur*, Iouiſq; *feriæ conſecratæ*. Quòd *ſi flaminem illum* Dialem *intelligas, ab* Antiâtis *diſcrepes ſententia, qui* Accæ *ob meritum à flamine* Quirinali *ſacrificium publicè fieri ſcribit. Vtut de flamine ſe res habeat*, Accam Larentiam, *ut ait* Cato, *ſepulchri magnificentia, & annuæ parentationis honore ueteres dignam putauerunt: uel, ut* Macer *hiſtoriarum libro primo prodidit*, Romulus *ab* Acca *nutrice ſua factus heres, illi parentalia, diemq; feſtum, pietatis cauſa inſtituit.* Fuit *autem hic dies in menſe* Aprili, *ab illo, cuius ex* Macrobij *teſtimonio meminimus, tantò diuerſus, quantò* Acca Larentia Romuli *nutrix, caſtiſſima fœmina*, Flauia *à* Larentia *ſcorto uulgatiſſimo, uita & moribus diſcrepauit.* Quod *ſi tam uerè quàm ſibi mihiq; uidetur*, Plutarchus *in* Problematis *ſcripſit, cap. 34. ne quo in loco tot ſcriptores lapſi ſunt, ingenioſi decipiantur, illo cum monitore, erunt in poſterum cautiores.*

19 Feriæ non populi modo, ſed montanorum, vt Paganalia quæ] *Libri omnes habent*, feriæ nō populi, ſed montanorum modo: *tum liber* Auguſtini, vt Paganalibus, qui ſunt alicuius pagi: *ceteri*, ut Paganalia quæ ſunt alicuius pagi. *Quod primùm poſui, ex recepta lectione falſum eſt, cùm eos qui in pagis habitant, montanos, ſiue paganos, id eſt, ruſticos, non eſſe de populo ſignificet: quod nemo rei* Romanæ *niſi imperitus, admiſerit.* Malui *itaque exiſtimare, diebus feſtis, ludis, & ferijs urbanis enumeratis, ad ruſticas* Varronem *tranſiſſe, quod*

eius

eius exemplũ declarat. Paganalium ſanè Macrobius libro Saturnal. primo, cap. 16. meminit.

20 De ſtatutis diebus dixi] *Quidam exiſtimabit ſcriptum ab autore,* ſtatis, *quod non eſt: ſtati enim dies profeſti ſunt apud Macrobium, Varro tantum de feſtis in hunc locum uſque tractauit. Dixit autem ſtatutos, pro certis & conſtitutis diebus, quorum ex Faſtis ſtatæ obſeruationes notabantur. Ceterùm annales dies idem appellat, quorum celebritas quotannis in certos, uel etiam in incertos dies à magiſtratibus, uel ſacerdotibus concipitur: eorum dierum feriæ à Macrobio appellantur Conceptiuæ, ut Latinæ, Paganicæ, Sementiuæ, Compitaliciæ.*

21 Sementiuæ feriæ] *Ita ſemper ſcriptum in libris Varronianis de re ruſtica inuenio, & apud Paulum ex Pompeio libro III. Quod magis probo, quàm quod hîc erat,* ſementinæ, *cùm apud Catonem & Varronem, pira ſementiua ſimiliter dicta reperiantur.*

22 Sic dicto quinquies, KALO IVNO NOVELLA: ſepties, KALO] *Cùm antea,* ſic dictæ: Quinque Kalo &c. ſeptem Kalo &c. *ſcriptũ eſſet, ex ingenio tandẽ mutaui, quod in notis* V. *&* VII. *explicandis, excriptores & librarij corruperant. Reſtitutæ uerò lectionis aſſiduum autorem habeo Macrobium, qui libro Saturnal. primo, cap. 15. inquit, Priſcis temporibus, antequam faſti à Cn. Flauio ſcriba inuitis patribus, in omnium notitiam proderentur, Pontifici minori hæc prouincia delegabatur, ut nouæ lunæ primum obſeruaret aſpectum, uiſamq; Regi ſacrificulo nuntiaret. Itaque ſacrificio à Rege & minore Pontifice celebrato, idem Pontifex calata, id eſt, uocata in Capitoliũ plebe iuxta curiam Calabram, quæ caſæ Romuli proxima eſt, quot numero dies*

dies à Calendis ad Nonas ſupereſſent, pronuntiabat: & quintanas quidem quinquies dicto uerbo, ΚΑΛΩ, *ſeptimanas repetito ſepties prædicabat.*

23 Neceſſe eſt enim aliquo vti verbo] *Omnimodo coniunctio quæ cauſſam hic reddat, uel ſimilis aliqua particula, etiam ſcriptis manu deſuit.* Franc. Balduinus *ingenij monumentis clarus, & eruditione præſtans, legit,* quòd neceſſe eſt aliquo. *Ego quandoq; legendum putabam,* Ita quia non poteſt lege agi, neceſſe eſt aliquo vti verbo, cũ quid peragitur. *Nunc uerò creatum mendum ex ſimili ſcriptione ſuſpicatus,* nēe ē em̄, *cauſſam ex eo reſtituendæ coniunctionis arripui.*

24 Quintus Mucius abnegabat eum expiari] *Sic in libro* Auguſtini *rectè eſt: uulgò legitur,* ambigebat eum expiari vt impium non poſſe; *quod uerbũ* Balduino *non tam dubitantis, quàm uerecunde ſententiam ſuam dicentis eſſe uidetur.* Apud *Macrobium ſacerdotes affirmabant, eum qui feriatis diebus imprudens aliquid egiſſet, porco piaculum dare debere: prudentem expiari non poſſe, Scæuola* Pontifex *aſſeuerabat.*

25 Quod fas tum intercedit, interciſi dies, aut quod interciſum nefas] *Interciſi dies apud illum* Deorum *hominumq; dicuntur eſſe communes: eorum autem quibuſdam horis fas eſt, quibuſdã fas non eſt, ius dicere. Nam cum hoſtia cæditur, fari nefas eſt: inter cæſa & porrecta, fari licet: rurſus, cùm adoletur, non licet.*

26 Quando rex comitiauit fas] *Mirari ſatis non poſſum, quid cauſſæ Lilio Gyraldo eruditiſſimo uiro*

fuerit

fuerit, libro de Anno & menſib. hoc in loco legendi q.r. comitiauit, fiſſus, *quaſi dies hic in faſtis interciſſus eſſet.* Imò *uerò cùm hæc notæ inciſæ eſſent,* Q. R. C. F. *à Pompeio libro* xv. *explicatæ fuiſſe uidentur.* Quod *aſſeuerat Paulus ex Pompeio, & ad hunc Auguſtinus, inſcitiæq́; damnat Ouidium, qui libro* v. *Faſtorum extremo, inquit,*

> *Quattuor inde notis locus eſt, quibus ordine lectis,*
> *Vel mos ſacrorum, uel fuga, regis ineſt.*

Intuenti autem Lilio uerba Varronis, cùm ait, quo die rex ſacrificulus ſacro facto in comitium uenit, eſſe ad id uſque tempus nefas, ab eo fas, *fortaſſe diē interciſum perſuaſerunt, cuius certis horis nefas, & certis fas fuiſſe dicitur. Sed ſi occaſionem legendi fiſſum inde Lilius accepit, debuit animum aduertiſſe, diei interciſi principio & fine diei nefas, intermedio uerò fas: quæ uarietas, multiplexq́; mutatio interciſi diei, quem ille fiſſum nouè, ut opinor, appellat, nō eſt in hoc quem faſtum Varro, Pompeiusq́; dixerunt, Quando rex comitiauit.*

Quod ſi hæc decem ſolum præuerbia] 27
Decem præpoſitiones Varro ſibi uidetur enumeraſſe, at ſunt tantum enumeratæ nouē: re, ad, ab, in, ex, ſub, de, con, præ. Quare illis fuit addita dis, *ſed à ſciolo quodā emendatore remota, cùm ſic autor, ut mea fert opinio, ſcripſiſſet,* ſucceſsit, & deceſsit, & diſceſsit, & conceſsit, &c. *Eſt autem ſumma inter præuerbia de, & dis, apud Grammaticos obſeruata differentia.*

Sic alia, vt Libentina] *Ita in libro Auguſtini, in* 28
alio quodam fuit, libentia, *quod nomen pro uoluptate, lepôreq́; uſurpat A. Gellius, libri* xv. *cap.* 2. *Sed uulgò libri ſic habuere,* libidinoſus, ac Venus Libentina,

tina, & Libitina, ſic alia. *Et quidem cùm ſit apud Nonium Marcellum, Varronem ſcripſiſſe de lingua Latina, libro v. prolubiem & prolubidinem dici ab eo quod lubeat. Vnde etiam lucus Veneri Lubẽtinæ dicatur: aptius quàm huic, non ſatis ſcio, cui loco hæc uerba accommodari poßint. Quare & quæ uulgus legit, & alia, deſiderari hoc in loco ſuſpicor. Quod autẽ de Libitina dicitur, id eſſe Epitheton Veneris, autor eſt Plutarchus, Problemate 22.*

29 Terentius ait: Gaudia ſua &c.] *Alijs placet,* Iuuentius ait; *placetq́; ex duplici cauſa, quòd libro proximè ſequenti Iuuentium comicum memoret Varro, & quòd hoc loco relata uerba in Terentij comœdijs non reperiam. Olent tamen neſcio quid Terentianum adeò, ut cùm ſtylus orationis pro autore argumentũ & indicium faciat, nihil ex recepta lectione mutandum cenſuerim. Quod aiunt, illa Terentij uerba in comœdijs eius non legi, de reliquis & ſuperſtitibus uerum eſt: ſed quid impedit dicere P. Terentium illa in comœdia Agnorizomeno ſcripſiſſe? Hæc enim eius legitima comœdia eſt, quẽadmodum libro XVII. teſtatur Pompeius.*

30 Herculi decuma data] *Noſter Varro in ea Satyra inſcripta περὶ κεραυνῶ, maiores ſolitos decimã Herculi uouere, ſcripſit: nec dies decem intermittere, quin pollucerent populum, ac ἀσύμβολον cum corona laurea dimitterent cubitum: quæ ſunt apud Macrobiũ libri III. capite 12. Morem autem decumandi induxit Euander in Latio tum primùm, cùm ob Cacum interfectum, Herculi boum decumas obtulit: & ſi uerum ex Diodoro Siculo accepimus, dixerat Hercules, uitam uicturos fœlicem, qui ſibi bonorum decumas dedicauiſſent. Quamobrem Sylla qui Felix dici uoluit, item & Craſſus qui diues, decimam*

Herculi uouerunt, ut refert in eorum uita Plutarchus. Eoq; pertinet quod decimam Plautus Trinummo Herculaneam partem appellat. Idem ex more dixit Sticho, Decumam partem ex uoto Herculi polluceam.

31 Libamenta porrecta ſunt Herculi in ara, tum polluctum eſt] *Erat hic,* libamenta proiecta: *ut ſuprà eodem libro,* inter cuius exta cæſa & proiecta, flamen prorſus uinum legit, *&* *deinde,* inter hoſtiam cæſam & exta proiecta, fas: *ſed ubiq; legere,* porrecta; *uiris eruditis placuit. Macrobius ad hanc rem libro primo, cap. 16. Sic habet, inter cæſa & porrecta fari licet. Idem libro tertio, cap. 2. ex diſciplina Aruſpicum, & ex præcepto Pontificum, uerbum ſolenne ſacrificantibus ait, quo uſus Virgilius III. Aeneid. Extaq; ſalſos Porriciam in fluctus. ſicut Veranius ex primo libro Pictoris, ita diſſertationem huius uerbi executus eſt:* EXTA PORRICIVNTO, *&c. Quo uerbo Plautus quoque uſus, Pſeudoli ſcena 3. In manibus exta teneam, ut porriciam.*

Porricere ergo, inquit Macrobius, non proijcere, proprium ſacrificij uerbũ eſt. Quod ſcripſi, polluctum, *& hoc in loco, & proximè ſuperioribus, in eo mihi plaudo, neq; ex ingenioſis quenquam puto, qui non* pollutum, *quod in omnibus libris, & apud omnes fuit, exibilandum exiſtimet. Aliud certè eſt polluere, aliud eſt pollucere. Hoc autem ſacrificale uerbum eſt dijs reddentium libamenta. M. Porcius in Ruſtico, cap. 132. Ioui dapali dapem ait polluceri. Caſsius Hemina apud Plinium libri XXXII. cap. 2. Numam refert prohibuiſſe, ne non ſquamoſi piſces pollucerētur. Sextus Pompeius lib. XIV. Herculi omnia eſculenta, poculentaq; polluceri ſcribit.*

32 Vt cùm profanatum dicitur] *Lilius Gyraldus Hiſtoriæ deorum libro* XVII. *legit, at cùm* profanum: *quaſi ſi aduerſatiua poneret ob oculos diuerſam polluti, & profanati ſignificationem. Sed paulò ſuprà ipſe Varro dixit profanatum, pro in ſacrario polluto. Quod hic erat* profanum, *in participium mutaui, cùm ſe loqui de eo quod fani factum eſt, autor noſter ſignificet, & exprimat.*

33 Prætor urbanus quotannis facit, cùm Herculi immolat publice iuuencam] *Scripſerat Varro*: P R. urb. *pro Prætore urbano, notas uerò priores ita librarij interpretati ſunt*, Populus Romanus urbis: *eorum peccatum multò ante libros Auguſtini editos, Iacobus Cuiacius homo iuriſperitiſſimus & morum literarumq; ueterũ ſtudioſiſſimus, oſtenderat. Ceterùm ad id quod ait Varro, adde, prætorem urbanum in capite lauream coronam geſtaſſe, cùm Herculi rem diuinã faceret, ut teſtatur Macrobius libri* III. *ca.* 12. *Sacrum autem feciſſe iuuenca autor eſt Varro, qua de re diuerſi diuerſa ſcripſerunt. Liuius ait, ſacrum Herculi ab Euandro factum, boue eximia capta de grege. Dionyſius Alicarnaſſeus in hac ſententia eſt ut iuuencus immolaretur: quod indicat Virgilius* VIII. *Aeneidos, ibi,*

Perpetui tergo bouis, & luſtralibus extis.

34 Sed translatione] *Veteres excuſi habuere*, translatio, *liber Auguſtini, quemadmodum retuli: malim autem* translatitio, *ſunt enim uulgò oppoſita, nomen proprium & tranſlatitium: quo & infra eodem libro noſter Varro utitur.*

35 Fatuus & faunus] *Erat*, fatuus & fatuè, *quidã tentabant*, & fatua, *& utrunq; infeliciter: eadem*

eſt

eſt enim uirilis & feminei nominis origo, eadem nominis, & aduerbij ex eo formati. Quò magis probanda eſt Italorum opinio, qui fatuum à fando, in hunc locum ſubtiliter induxerunt. Inde certè & fatua & fatuus originem ducunt, de qua Macrobius libro 1. Satur. ca. 13.

Senes alij quod nimiũ nouum verbum 36
eſſet, vitabant] *Antea fuit, etiam in manuſcripto Auguſtini,* ſenes aliquot nimium nouum verbum quod eſſet *uerùm ex ea ſcriptura Varro quod plenè uult probare, minime aſſequeretur, nempe, ſi non omnes, ſed tantum ſenes aliquot* nouiſsimum *reſpuebant. A. Gellij ſanè libri omnes ueteres, & ſcripti, & formis excuſi, teſtimonij ſuffragiò adiuuant ſcriptionem, & opinionem meam, librò x. Noctium. cap. 21. & nobiſcum idem Cuiacius ſentit. Quoniam uerò Aelius Gallus, qui doctiſsimus eorum temporum fuerat, inquit, A. Gellius, nouiſsimo, ut improbo uerbo, uti uitauerat. ideò M. Tullius quantum is iudicat, eo tanquam non Latino abſtinuit: licet M. Cato, C. Salluſtius, C. Cæſar, alij quoque ætatis eiuſdem, illo uerbo promiſcuè uſi ſint. Hoc ſimiliter obſeruaſſe Valla ſibi uidetur, elegantiarum libri 1. cap. 50. Sed ſi Plancus ad Ciceronem, nouiſsimè ad Lepidum uſus ſum, inquit, Epiſtolarum ad familiares, libro x. ſi Brutus ad Caſsium ſcribit, ad nouiſsima auxilia deſcendemus: ſi denique ipſe Cicero, lumen eloquentiæ Romanæ, dicit, in nouiſsimis eſſe, nouiſsima primis conferre, obſcurum planè A. Gelij, Vallæq; ſententia. Quare uulgi uſu, & familiarium autoritate motus noſter Varro, quod uerbum ſenes euitabant, calculo ſuo probauit, infra libro octauo, ibi, magis ueſpere nouiſsimum ueſperi. Idem Ruſtico libro 1. ludis Circenſibus nouiſsimi circuli finem facit. Item, quartum*

tum fabrile ſepimentum eſt nouiſsimum, maceria. Et infrà, nouiſsimè fenum ſecari. Item libro III. *ibi, Hæ nouiſsimæ in triclinium ganearium introierunt.*

37 Vbi nuncupatæ pecuniæ ſunt ſcriptæ] *Non dicit Varro nuncupatam dici eam pecuniam eſſe, quæ ſcripta eſt, ſed in legibus* XII. *Tabularum factam eius mentionem, his uerbis,* CVM NEXVM FACIET MANCIPIVMQVE, VTI LINGVA NVNCVPASSIT, ITA IVS ESTO. *Item in alio capite,* QVI QVOD LINGVA NVNCVPASSIT, INFICIATVS SIT, DVPLIONEM LVITO: *utrobique uerò nuncupaßit, id eſt, nominarit, locutus'ue erit. Ad hæc apud Pompeium nuncupata pecunia eſt, ut ait L. Cincius in libro* II. *de officio iuriſconſulti, nomina certa nominibus proprijs pronuntiata. Sic uota nuncupata dicuntur, quæ Conſules, Prætores, in prouincias profecturi, faciunt, ea in tabulas præſentibus multis referuntur. At Santra de uerborum antiquitate libro ſecundo, nuncupata colligit non directo nominata ſignificare, ſed promiſſa & quaſi teſtificata, circunſcripta, receptaq́. Quod tamen ita non eſſe, uſus eius nominis promiſcuus indicat, ut cum apud Vlpianum nuncupatur teſtamentum. & apud Pacuuium in Duloreste fidem nuncupantes conciebant populum.*

38 Hinc antiqua illa, dicis immo, & dicis cauſſa] *Horum nobis origo aperienda eſt, quam Auguſtinus Opinionum libro* II. *ignorare ſe confitetur. Et quidem qui ad dolum tegendum colore quæſito, magis quàm ex animo aliquid agit, quo ſe feciſſe dicere poßit, quod factum nolet, quiq́ apud Iuriſconſultos luſoriè, perfunctoriè, tranſlatitiè, defunctoriè munere fungi, aut quid*

agere dicitur, is apud uetuſtiores dicis immo, & dicis cauſſa *facere dicebatur. Prioris modi exempla nulla ſuppetunt, Poſterioris, complura. M. Tullius in Verrem* VII. *ut poßit ſe dicere emiſſe, Artagatho imperat, ut aliquid illis, quorum argentum fuerat, nummorũ dicis cauſſa daret. Noſter Varro infrà eodem, dicis cauſſa fiebant quædam neque item facta, neque item dicta ſemper. Item Plinius ſenior libri* XXVIII. *cap. 5. Si Pontifici accidat dicis cauſſa epulanti. Ad quorum inſtar T. Caius libro primo de uerborum obligat. ſcripſit, Sæpe ad hoc commodantur pecuniæ, ut dicis gratia, numerationis loco intercedant. Vlpianus* XII. *ad edictum: qui maturius profectus eſt, uel dicis gratia cæpit Reipub. cauſſa abeſſe. Idem libro quinquageſimo: ſi finxit quis auxilium ferre, uel dicis gratia tulit, nihil hoc commentum ei proderit. Quibus omnibus in locis* dicis cauſſa, *uel dicis gratia uſurpatur, à dicendo ſignificatione ſumpta, cùm id quod fit, tantũ agatur, ut ſcilicet dici poßit. Ceterùm quæ ſequuntur,* ſi dico &c. *mẽdoſa ſunt, queq́; emẽdare minime poſſum.*

39 In veſtimento ſartum, quod comprehenſum] *Varro ſartum à ſerie deductum putat: ego uerò à uerbo ſarcio originem habere. Sicut enim ſarcire, eſt integrum facere, ita ſartum, eſt integrum: & cùm in Augurum libris ita eſſet,* SANE SARTEQVE, *hoc pro integro, Verrius, Pompeius, Chariſius, & Porphyrio acceperunt. Eamq́; ob rem quæ locantur opera publica, ut ſartatecta præſtentur, integra ex lege locationis præſtanda intelliguntur.*

40 Quirites à Curetibus, & ab iis, qui cum Tatio rege] *Alijs placuerat hic legere, à* Curenſibus: *ſed ſibi conſtantem imprimis Varronem uideri*

concupiui, qui ſic libro ſuperiore ſcripſit: Collis Quirinalis, ubi Quirini fanum qui à Curetibus; qui cum T. *Tatio Curibus uenerunt Romam.* Ex *ijs intellige*, & ab iis, *pro id eſt, per epexegeſim dictum eſſe: populum enim quem à Curibus opido Sabinorum, per fœdus in urbem* Romulus *recepit, Quirites uocauit, Liuio, & Plinio nepote autoribus. Quod autem ſcripſi, de conſtantia autori noſtro conſeruanda, ideo attuli, ne quis me Curenſium appellationem exiſtimet improbare, quam uel apud Sex. Pompeium reperio, ubi Quirinam tribum ait à Curenſibus Sabinis nomen ſibi uideri traxiſſe.*

41 Terentius ſignificat, cùm ait, ſatius eſſe ſua ſponte] *Varro de illa ſumma religione, quam in uerbis aliorum referendis ab eo quidam ſeruatam exiſtimant ut alibi multum, ſic & hoc loco remiſit.* Ita enim *habet* Terentius, *Adelphis,*

Hoc patrium eſt potius conſuefacere filium
Sua ſponte recte facere, quàm alieno metu.

42 Nō enim ſi volebat, dabat, quod ſponſu erat alligatus] *Hoc dicit: qui filiam deſponderat, ſi uolebat, non tantum dabat, ſed etiam ſi nolebat, & inuitus promiſſam dare cogebatur. Sic enim habuit Seruius Sulpicius, in libro quem inſcripſit de dotibus, ſolitū in Latio. Qui uxorem ducturus erat, ab eo unde ducenda erat, ſtipulabatur eam in matrimoniū ductum iri: qui daturus erat, itidem ſpondebat. Is contractus ſtipulationum, ſponſionumq; dicebatur ſponſalia. Tum quæ promiſſa erat, ſponſa appellabatur: qui promiſerat ducturum, ſponſus. Sed ſi poſt eas ſtipulationes uxor non dabatur, aut non ducebatur, qui ſtipulabatur, ex ſponſu agebat: iudices cognoſcebant. Iudex quam ob rem data, acceptaue non eſſet*

uxor,

uxor, querebat: ſi nihil iuſtæ cauſſæ uidebatur, litem pecunia æſtimabat: quantiq́; interfuerat eam uxorem accipi, aut dari, eum qui ſpoponderat, aut ſtipulatus erat, condemnabat. Hoc ius ſponſaliorum obſeruatũ dixit Seruius ad id tempus, quo ciuitas uniuerſo Latio data eſt. Hæc eadem Neratius ſcribit in libro, quem de nuptijs compoſuit. Quod autem poſt id tempus mutatum eſt, id tantum quod ad iudices fuit, qui de ea re cognoſcerent, ut ex Varronis ſequentibus uerbis ſtudioſus ſcire poterit.

In Aſtraba Plauti] M. Terentius Varro cui nos 43
frequẽtem operam damus, unus omnium hominum Plauti ſtudioſiſsimus fuit, in eoq́; adeò ſibi placuit, quemadmodum refert libro X. M. Fabius, ut diceret Muſas Aepiſtolonis ſententia, ſi Latinè loqui uellent, Plautino ſermone locuturas. Is igitur cũ ſub Plauti nomine comœdiæ C X X. ferrentur, & L. Aelium Gallum hominem eruditiſsimum, magiſtrum ſuum ſciret, X X V. Plauti ſolas credere, præter unã & uiginti quæ hodie una minus ſuperſunt, quæq́; olim ob huius aſsiduam operam Varronianæ uocabantur, in alijs cenſendis hac iudicij norma uſus eſt, ut mores ingenij, atque linguam Plauti in comœdia examinaret, quò an is legitimus fuiſſet autor, cognoſceret. Plautus enim ſicut Saturnaliorum libro II. Macrobius ait, adeò iocorũ uenuſtate clarus fuit, ut poſt mortem eius comœdiæ, quæ incertæ ferebãtur, Plautinæ tamen eſſe iocorum copia noſcerentur. Sic Varro edito de Comœdijs Plautinis libro, cuius actu primo Geminos, Leones, Cordalium, niſi uoces & Lenones & Cordalium, Anus, Bis cõpreſſam, Bœotiam Plauti negabat, poſtea adductus ſtylo, atque facetia ſermonis Plauto maximè congruentis, Bœotiam, quam Aquilij uulgus, ipſeq́; crediderat, illius nomine occupatã,

ut libro III. ſcribit A. Gellius Plauto uindicare non dubitauit. Idem eo libro comœdias Ἄγροικος et Commorientes Plauti eſſe negauit, M. Acutici aſſeruit: ut ſit tibi à prologo Terentiano cauendum, cùm in Adelphis ait, Eam Commorientes Plautus fecit fabulam.

Ad hæc, cum in mercationibus omni pecunia perdita, Plautus inopia coactus, Romæ ad agendas molas operam piſtori locaſſet, eum in piſtrino Saturionem, & Aditum ſcripſiſſe, & tertiam quandam, cuius nomẽ non ſuppetit, noſter Varro, & pleriq; alij memoriæ tradiderunt. Quare cum indubitatis illis, Varrone iudice & cenſore, Plauti legitimæ comœdiæ fuiſſe uidentur XXIV. Amphitruo, Aſinaria, Aulularia, Bacchides, Captiui, Caſina, Ciſtellaria Curculio, Epidicus, Menæchmi, Mercator, Miles, Moſtellaria, Penulus, Perſa, Pſeudolus, Rudens, Stichus, Trinummus, Truculentus quæ ſuperſunt: et quæ periere, Bœotia, Saturio, Aditus, & alia quædam, cuius quia nomen ab ijs qui eam legerunt, non accepi, minime prodere poſſum. Illis Fauorinus Arelatenſis Neruolariam addidit, A. Gellius Fretum: quas de ambiguis & incertis eximi, & omnium maximè genuinas haberi uoluerunt. Nonius ſanè Marcellus de Aſtraba fabula incertum inquit, an ea Plauti ſit, & ita ambigit A. Gellius libri XI. capite 8. Ceterùm ex hoc loco, & libro ſequente, illa cuius cauſſa in hanc tractationem exceſſimus, item Ceſtio, Condalium, Colax, Friuolaria, Fugitiui, Neruolaria, Paraſitus piger, Phago, Sitelitergus, pro comœdijs M. Accij Plauti, cum illis quæ dubioſæ non erant, æquo & pari iure proferuntur. Qua in re ſæpe animaduertere licet, Varronem comœdias, de quibus uulgus ambigebat, proferentem, ut certas de incertis ſuo teſtimonio redderet, Plautoq; uindicaret,

ret, illis indubitatis, & ut Plauti more dicam, Plautiniſſimis inſeruiſſe. Quod eam ob rem notaui, & alios obſeruare cupio, ne quis cùm apud Varronem ex ſuprà ſcriptis comœdijs Plautus laudatur, ſub Plauti nomine, iactā Plautij mentionem arbitretur: eo quòd apud ueteres I, ſimile lineā ſupergreſſum, iterati duplicatiq; uim habebat. Plautius certè quidam poëta comicus dictus fuit, quemadmodum illo de Plautinis comœdijs ſcripſit Varro: cuius quoniam fabulæ PLAVTI inſcriptæ forent, quaſi Plautinæ acceptæ fuerunt: cùm eſſent non à Plauto, Plautinæ, ſed à Plautio, Plautianæ. Illius Plautij fortaſſe apud Macrobium proferuntur Baccharia, & Calceolus, Saturnaliorum lib. III. capite 16. & 18. In hoc autem magis animi pendeo, Plautij'ne ſint, an M. Accij Plauti apud A. Gelliū adducti Trigemini lib. VII. ca. 9. & apud Pōpeiū adductæ comœdiæ, Artemō, Carbonaria, Diſcolus, Feneratrix, Hortulus, Patina, niſi libro XVI. eſt Caſina, Phaſma, & Syrus. Item apud Nonium cùm Plauti creditæ comœdiæ citantur, Attrariſtio, Stematicus, Cornicularia, & Vidularia, quid dicam, prorſus nihil habeo. Hoc ab A. Gellio accepi, ſcripta ueterum poëtarum quòd à Plauto retractata, expoſitaq; fuerint, ac propterea ſtylum Plautinū receperint, nomini eius complura adiecta fuiſſe.

Sequor Hercle quidē. Iam lubēter &c.] 44

Locus hic difficilis eſt intellectu, ob menda quæ mutatis, detractis, & ubi non oportuit, adiectis literis obrepſere, quæq; prorſus tolli ſine Plauti comœdia non poſſunt. Ego ſuſpicionem & opinionem, quam mea mēte comprehendi, in contextu publicaui, ratus ſcripturam quæ qualemcunque ſenſum autoris ob oculos poneret, illa quæ nullum contineret, probabiliorem ingenioſis uiſum iri. Vetus

lectio fuit, Hercule quidē: nam lubenter mea ſperata cōſequor: & quod ſine ſponte dicitur, uere & c. *Sed cum in comœdia, Polyba ſequi ſe uirum diceret, ſubiuncta uerba uirginem minime decuerunt: quæ niſi in neutro genere* mea ſperata *dicit, debuit potius ſperati ſui meminiſſe. Verum ad illa quis ſequentia iunget,* quod ſine ſponte dicitur? *Si Polyba dixit ſe* libenter *ſperata conſequi, id aliud'ne quàm* ſponte *ſignificat? Sed inanibus nulla ratio ſubeſt: uaniq; per ſe uaniſsima ſunt. Coniectura noſtra, & niſi me nimius amor Varronis reſtituendi fallit, noſtra diuinatio ita ſcriptum ſubijcit:* Itaque hic quoque qui dicit in Aſtraba Plauti: Sequere, adſequere Polyba, diſce, meā ſpeni cupio conſequi. Sequor Hercle quidem. Iam lubenter te, mea ſperata, conſequor: & quod ſine ſponte dicit, uerè neque ille ſperat, qui dicit adoleſcens, neque illa ſperata eſt. *Quibus uerbis emendādis, quod alijs in autoribus factum frequenter cernimus, in Pandectis ciuilibus, & apud Quintilianum, mihi permiſi primùm, cùm* nam *in* iam *commutaui. Quòd poſt* libenter *addidi* te, *eam ob rem feci, quòd eiuſdem ſyllabæ iteratam mentionem facilè poſteriori nocere, alijs in locis obſeruaui, ut apud Tacitum initio Annalium, libro primo: & eò mihi audacius conceſsi, quod in arte emendandi à Faërno, alijsq; uiris literatis & eruditis habeam, non literas ſolum ſingulares, aut ſyllabas, ſed & dictiones integras ad illuminandum autorem, in contextum induci poſſe. Quòd* dicit *ſcripſi, & quod erat ſuſtuli, id mihi filum orationis, & ſimilis autoris ante poſita locutio perſuaſit. Iam uero ſenſum Varronis*

ronis explicemus: cùm ſpes ab ſponte deducatur, & tum quis ſperat, inquit, cùm quod vult, ſic fieri putat, Plautinus adoleſcens domũ ducturus Polybam uxorem, quæ ab illo ut ſequeretur admonita. ſequi ſe, uerùm neſcias inuitam ne an uolentem, ſponte ne an coactam dixit, neque uerè illam ſperat, quam non putat niſi eo inuitam e uenturam, neque illa ſperata ab illo uerè dici poteſt. Admonitio nanque illa dubitabundum adoleſcentem de muliebris animi alienatione ſignificat, ergo cùm quod uolebat, ſic fieri non putabat, illam ſperare minimè dici poterat. Quæ ad inquirendum proprie quid ſit ſperata apud Plautũ attulit noſter Varro. Nonius Marcellus minus ſubtiliter, at apertius. Inter ſperatã, inquit, & dictam & pactã, & ſponſam, hoc intereſt: quia uirgo poſtquam petitur, ſperata dicitur. Plautus Amphitruone: uxorẽ ſalutat lætus ſperatam ſuam Dehinc promiſſa, dicta, uel pacta, uel ſponſa dici poteſt. Virgilius &c. Idem alibi explicat ſperatum, ſponſum, ex Afranij fratribus: meum ſperatum adduce. & poſtea, ſperatam non odi tuam. Quæ quidem interpretatio tametſi uerbis Amphitruonis malè apud illum relatis peſſimè accommodetur, uera tamen dilucidaq; uidetur, & huic ex Aſtraba loco aptari rectiſſimè poteſt.

Vas appellatus qui pro altero &c.] Lau- 45
rentius Valla libro de notis ſcriptorum, cap. 31. ſcribit Varronem ſe non audere reprehendere, ſed tantum affirmare, ſe quantum recordetur, aut intelligat, nõ legiſſe uadem eſſe eum, qui pro altero uadimonium promittit, ſi uadimonium ſignificat fideiuſsionem: ſed eum, qui ſponſor eſt alterius in capitis periculo, ſiue idem ſupplicium ſubiturus, ſiue pecuniam ſoluturus. Poſterius hoc quod ait Valla ueriſſimum eſt, ſed tamen non eſt illo priore uerius.

Vtrun

Vtrunque locus idem Liuij ab illo productus confirmat, ex libro tertio: ubi Quintius Cæſo capitis reus retentus in publico eſt: uades dare placuit. Vnum uadem trium millium æris obligarunt. & infrà. Tot uadibus accuſator uadatus eſt reum. Hic primus uades publicos dedit, inquit Liuius: ergo dare uades priuatis inter ſe, antequam populo darent, Romanis in uſu fuit: & hoc ſolennia uerba in lege mancipiorũ apertiſſimè teſtantur. Acceditq; Cornelij Nepotis in Attici uita ſententiæ Varronis ſcriptio, ibi: Fuluiæ cum litibus diſtineretur, magnisq; terroribus uexaretur, tanta diligentia officiũ ſuum præſtitit, ut nullũ illa præſtiterit uadimoniũ ſine Attico, ſponſor omniũ rerum fuerit. Quibus ex uerbis, etiam extra capitalem cauſam in priuatis iudicijs parti uades dari conſtat: quod Valla non animaduertit.

46 Cum R, poſitione] *Omnibus in libris erat,* cum præpoſitione, *ſed quæ unquam præpoſitio fuit in hac dictione, ornamentum? ergo ex oſnamento addita R litera peperit ornamentum.*

47 Qui adlucet, dicitur lucere, ab ad & lucere] *Manuſcripti habent,* dicitur lucere ablucere, *quæ menda Italorum, qui in hoc munere uerſati ſunt, mentem adeò conturbauit, ut de huius uerſus, duorumq; ob hunc proximè ſuperiorum reſtitutione, deſperauerint. Quiſque ingenioſus ex ſimilitudine literarum facile oblitos librarios iudicabit. Neque uerò ſimile quicquam unquam habuerunt* abluere, *ſeu lauare, & tenebras diſſoluere.*

48 Luci item à luce, quod &c.] *Quidam à contrario lucum dici putabant, quia umbra opacus parum luceret, quod ſi M. Fabius libri primi, capite decimo irri-*

ſit, quid de Varronis originatione dixiſſet?

Cerno pro video, atque idem valet:] *Sic ſcripſi, cùm nullus ſenſus erui ex ueteri ſcriptione poſſet. Quid enim eſt dicere, etiam cum librorum omnium fauorabili ſuffragio,* cerno idem valet. Itaque pro video? *quid, illud idem quò referetur? uel quid eſt quod pro uideo uſurpabitur?* 49

Cernito in teſtamento, id eſt, facito videant te eſſe heredem] *Audacter hunc locum, ſed feliciter Itali emendauerunt, cùm eſſet antea peßimè,* &c. qui id teſtamento. *Quæ ſcriptura pro ſolennibus uerbis teſtamentorum illa innuere uidebatur,* facito videant &c. *cùm ſolita uerba heredum inſtitutionibus adhiberi, fuerint hæc, quantum ex reliquijs Vlpiani accepimus,* TITIVS HERES ESTO, CERNITOQVE IN DIEBVS CENTVM PROXIMIS, NISI CREVERIT, EXHERES ESTO. *Quod ſi cui obſtrigillãdi cupido uetus lectio magis placeat, is uideat plenus ne ſenſus ſit uerborũ,* qui id in teſtamẽto, *an non illis addi aliquid ſit neceſſe? puta, uerbum* iubet, *uel,* dicit? *Sic enim fiebat olim, ut C. Plinius nepos à Iulio Longo Pontico factus heres, ad Traianum ſcribit: Rogauit enim teſtamento, ut hereditatem ſuam adirem, cernerémq;* 50

In cretione adhiberi debent teſtes] *Antiquus liber habuit,* adhibere iubent: *ſed quæſo quis iubendi cuiquam facultatẽ dedit? ex qua parte iuris ciuilis prodijt hæc autoritas? Ego quod poſui, facilè doctis placiturum confido. Teſtatio autem hæredis, de qua Varro noſter intelligit, hæc eſt apud Vlpianum in Fragmentis,* CVM ME MÆVIVS HEREDEM INSTI- 51

TVERIT, EAM HEREDITATEM ADEO CERNO Q. Et hac de re plura apud illum.

52 Ennius vſus: vos epulo poſtquam ſpexit] Ennius libro decimoſexto Annalium ſic habuit, Quod ubi rex ſedulo ſpexit de pontibu' celſis.

Vti eſt relatum à Pompeio, de uerborum ſignificatione libro XVII. apud quem ex ueteri codice, qualem retuli lectionem uiri docti coniectauere, cùm anteà, rex paulò, legeretur. Ex illo Varronis locus uidetur emẽdari debere.

53 Dictum poëtæ: audio haud auſculto] Ita ſcripſi, cùm uulgo disiunctiua particula pro negatione legeretur. Neſcio uerò cuius poëtæ dictum Varro proferre uoluerit. Hoc didici, auſcultare pro obſequi poſuiſſe Pacuuium (ut Nonium emendo) Chryſe-magis audiendum quàm auſcultandum cenſeo. Eodemq; Cæcilius apud illum, Audire ignoti quod impero ſolent, non auſcultare.

54 Concionem habet, qui luſtrum conditurus] Erat hic anteà, conuentionem habet: quod peccatum in ſequentibus quater commiſſum, quater emẽdaui, ut infrà primum ita legas, VOCA AD CONCIONEM OMNES QVIRITES: & poſteà, ITE AD CONCIONEM HVC: & infrà, vnde vocare poſſet ad cõcionem: & ibi, vox ad concionẽ vocantis exaudiri poſsit. Hæc uerò loquẽdi forma, illa expulſa, placuit, eo quòd nemo conuentionem in ea ſignificatione uſurpauit, licet conuentus agere, celebrare, inſtituere, indicere dixerint: at concionem uocare, Liuius, aduocare, Meſſala Augur, & habere A. Gellius dixit.

55 Bœotia oſtendit: quam comœdiam Aquilij eſſe dicũt] Legebatur, comœdiam Alij

eſſe, idq; non ſine peccato: quod ut corrigerent ex Italis docti uiri, in aliud incurrerunt, dum M. Attij *rati ſunt ſcribi oportere.* Eos *mouit, quod libro proximè ſuperiori* Plautus *dicitur* M. Attius, *ubi citatur ex Caſina. Sed eorũ apertè falſa eſt ſiue opinio, ſiue ſententia. Noſter enim Varro in libro de comœdijs Plautinis, primo actu, uerba hæc ponit:* Nam nec Gemini, nec Leones, nec Cordalium, nec Anus Plauti, nec Bis *compreſſa, nec* Bœotia *unquam fuit. Niſi ſi illi ſe tuentur, eo quod A. Gellius libri* III. *cap. 3. ſcribit, Varronem ſtylo, & lepore Plautini ſermonis adductum, de Bœotia quin Plauti foret nihil dubitaſſe. Verùm ſi Bœotiam A. Attij credidiſſet, non dixiſſet,* eſſe dicunt: *quod ſcripſit, cùm Bœotia in una & uiginti indubitatis non erat, & ut idem A. Gellius refert, eſſe Aquilij dicebatur.*

Item circum aras mitti ſolitũ tum, quom inliceret] *Sic poſui, cùm multiplicatas dictiones librarij antehac omiſiſſent: hoc probaturũ illum ſpero, qui ſimilem phraſim ſuprà obſeruauerit, ibi,* accenſum ſolitum tum eſſe iubere. *Et quidem tam hic facilè peccatum, quàm apud Metianum in Pandectis fuit, de lege Falcidia, capite 32. ibi, Honorariæ actiones &c. cùm bonis actoris, defuncto eo, augmentum rei, deceſſionem'ue (ſi tales erunt, ut in heredem quoque tranſeant) præſtabunt. Quibus ex uerbis ſic ſcriptis, cùm ſenſum exculpere nemo poſſit, P. Faber uir ingenij diuitis & amœni, cùm unà Romæ eſſemus, feliciter nobis eum locum emendauit, ut legeretur, augmentum, tum rei deceſſionem, ſi tales &c. Quæ quidem ſcriptio ſententiam Metiani è tenebris in publicam lucem educit.* 56

Hoc ipſum inlicium &c.] *Dicit Varro M.* 57

Iunium

Iunium, opinor, Brutum in commẽtarijs ſuis poſuiſſe uocabulum inlicium, ſed per e, *ita ſcripſiſſe,* inlecium. *Quod tamen inquit,* ibi idem eſt, *cùm ab illicio uerbo, deducatur illexi, & illectus: hoc ſignificat Varro, ibi,* quòd illicit & illexit: *ſic enim ſcriptum oportuit, non ut erat,* illicite illexit. *Quid enim habet illicitum cum illicio commune? Illud uerò ex eo uerius uidetur,* quia I, cum E, magnam habent communitatem. *ita enim rectè quidam hunc locum emendauit. Conſuetum enim ueteribus id fuit, ut his literis* I, *&* E, *plerumque in medio, plerumq; in fine dictionum indifferenter uterentur, quemadmodum teſtantur antiquæ inſcriptiones, & Macrobius Saturnaliorum libro primo, cap. 4. prodidit. Quæ Varronis ſententiam ex germana ſcriptione, meo quidem iudicio, in plano ponunt: quò magis miror quid ſubſit cauſſæ, cur locus hic Auguſtino adhuc mendoſus eſſe uideatur.*

AD LIBRVM VI.

1 Inde ſi pòſt aliquæ demptæ ſint] *Qui ueꝰtuſtis autoribus emendandis dant operam, in magnas ſæpe anguſtias adducũtur, maximè ſicubi placita lectio, manuq; ſcriptorum autoritate confirmata hũc, purus autoris ſtylus, orationisq; recta ſeries, illuc, animum in diuerſa trahunt. Hoc in re præſenti commodiſsimè dicitur, ubi ſcriptoris eruditiſsimi ſcriptionem ab aliquo uel librario, uel correctore, quod minime decuit, contaminatam & corruptam, doctiſsimi uiri ex Tranſalpinis ſuſpicantur. Ita uerò hic olim legebatur:* indè ſi poſt aliqua dempta ſit obſcurior ſit uoluntas in poſteriores

non

non reprehendenda. Igitur in illis qui &c. *Quibus in uerbis Italorum ſuſpicio adeò meam auxit, ut ſignum pro argumento, & coniecturam pro teſtimonio publicarim. Peritiores uiderint nouáne noſtra, an recepta, communiſq; lectio ſit melior.*

2 Operam Myrmecidis ex ebore] *Myrmecides Mileſius eburneas quadrigas fecit, quæ ſub muſca abſcondi poſſent: opus quod propter nimiam exilitatem, ea quam haberet, homines magna admiratione obſtupefecit: quemadmodum Aelianus promiſcuæ hiſtoriæ libro primo, & Plinius ſenior libro* VII. *retulerunt.*

3 In poëmatis non omnia verba &c.] *Erat hîc:* in poëmatis verba omnia quæ habent etyma poſſunt dici nec multa: ab eo quod non erunt in lue. &c. *quod cùm falſum eſſe liquidò conſtet, ita Varronem ſcripſiſſe, eius honoris cauſſa, nunquam auſim exiſtimare.*

4 Licet multùm legeris C. Aelij hominis in primis in literis] *Vulgò ſcriptum eſt,* legeret Aelij, *in libro Auguſtini,* legerim. *Sed utrunque repugnat infrà poſito uerbo,* videbis. *Hic autẽ C. Aelius imprimis in literis Latinis exercitatus, cuius meminit Varro, eſt cognominatus Stilo, qui carminum Saliarium explanationem cõſcripſit, & familiariſſimè à Sex. Pompeio citatur autor, inter cætera libro* XI. *&* XV.

5 Vt quia quare ad medẽdum medicina] *Italis quibuſdam placet legere,* à medendo medicina: *ſed cùm ea lectio neque Varronis ſenſum planè præſentet, neque mihi animũ expleat, quidpiam huic loco deeſſe, & mihi & Auguſtino uidetur.*

Teſtaque meta ſunto quoad ego eas re-

linquam] *Excuſi ueteres habebant,* teſtaq; me ita ſcito quo ad ego eas te linquam &c. *Sed ex neutra ſcriptione ſenſus erui poteſt, adeò locus eſt corruptus.*

7 Expirante vapore videmus &c. *Vetus ſcriptio peccatum ferebat nouum, niſi Gabriel Faërnus Cremonenſis poëta, rerum literarumq; ueterum impensè doctus, & in penſitandis uetuſtis autoribus bene diligens, hunc locum ex Ciceronis 11. Tuſculan. emendaſſet. Erat ante,* expirante vapore vides vnde ignes cluet mortalibus diuis. *Is uerò quod ſcripſimus reſtituit,* expirāte vapore uidemus vnde ignis lucet mortalibus clam diuiſus. *Marcus autem Cicero prædicto loco ſic habet, nulla tamen Næuij facta mentione. quomodo fert apud eum Prometheus dolorem, quem excepit ob furtum Lemnium, unde ignis lucet mortalibus clam diuiſus?*

8 Velle tueri villam] *Peruetuſtus liber ſic habet, qui tamen mihi non omnino ſatisfacit: ex opinione legerim,* velle tueri vitam. *Sanè utraque melior eſt lectio, quàm ut illa etiam ex fide manuſcriptorum recepta, debeat retineri:* bellum tueor, & tueri villam. *Neque uerò apud autores ſcriptū unquam fuit,* bellum tueor, *pro, ſeruo, cuſtodio, prouideo, defendo: quid enim illud eſſet dictu? Potuit legi.* tueri villam, *ſed illepidè noſter autor id exemplum attulerit. Quòd autem à Varrone ſcriptum magis puto, apud Q. Flaccum eſt uitam famamq; tueri. Hoc ſenſu M. Tullius libro 1. de officijs dixit, ſe, uitam corpusq; tueatur: & epiſtol. ad Cæſarem: ut ſciret tuenda maiore cura eſſe quàm parata ſunt.*

9 Qui ſacras ædeis curat, ædituum, non

ædi

æditumum] Apud A. Gellium libri XII. capite 10. *Marcus Varro in libro ſecundo ad Marcellum de Latino ſermone, æditimum dici oportere cenſet magis quàm æditũum: quòd alterum ſit recenti nouitate fictum, alterum antiqua origine incorruptum. Sic enim in ſacris Argeorum ſcriptũ fuiſſe accepimus,* CISPIVS MONS SEPTICEPSOS APVD ÆDEM IVNONIS LVCINÆ VBI ÆDITVMVS HABERE SOLET. *Quare in eo quod hîc ait Varro, ſui temporis auribus ſeſe accommodaſſe uidetur.* Hoc ego conijcio ex *eius uerbis* Ruſtico *libro* II. *In ædem Telluris ueneram rogatus, inquit, ab æditimo, ut dicere didicimus à patribus noſtris: ut corrigimur à recentibus urbanis, ab ædituo.* Huc *ſpectat quod* Pomponius Attellanã *fabulã inſcripſit,* ÆDITVMVS. *Item* M. *Tullius in Verrem in exemplaribus fideliſsimis habet, Aeditimi, cuſtodeſq; maturè ſentiũt. Sed pro eo in libris uulgarijs, ædituı, ſcriptũ eſſe* A. *Gellius retulit. Quod dicit hîc & libro ſequẽte* Varro, *approbatq; Feſtus eum* qui ſacras ædes curat, ædituum, *idem eſt, cum eo quod inſtitutionũ ciuilium libro primo Triũuiri poſuere, ædituos dici qui ædes tuerentur: unde cognomen datum illi* Valerio *poëtæ, cuius uerſus* A. *Gellius refert, libro* XIX. *cap.* 9. *His concinit* T. *Lucretius, libro* VI. *extremo*

Oneratáq; paſsim
Cuncta cadaueribus cæleſtûm templa manebant
Hoſpitibus loca, quæ complerant æditue ntes.

Adeò ut ex eo quod Lucretio placuiſſe coniectura conſequor, expreſsitq; noſter Varro, ab ædibus tuendis æditũum magis dictum putem, quàm unam literam eliſam ex eo nomine, quod prius æditumus dicebatur.

10 Vide quod opus eſt vt fiat] *Plautina hæc ſunt ex Menæchmis, actus* II. *ſcena* 3. *quæ ſic ex ipſis Plauti libris ſcripſi, cũ anteà uariaret lectio, alijs* vide quid opus ſiet, *alijs* vide quod opus fuat, *alijs* vide quid opus fuat, *partim ex opinione, partim ex manu ſcriptis legentibus.*

11 Quod eſt, Terrarum amfracta reuiſam] *Contigua ſuperiora uerba,* ſignum candens, in Hectore, *ſignificant exinde ea, non autẽ hæc depromta. Etenim fortaſſe illius comœdiæ autor eſt Ennius, qui fabulæ* HECTORIS LYTRIS *nomen indidit. Hoc autem hemiſtichium uti Bentinius primus omnium animaduertit, L. Actij eſt: cuius quoniam Varro ſuprà teſtimonium recitauit, nunc quaſi indicaret apud illum, ait,* quod eſt. *Verſus autem ex Euryſace Actij fuit, ſi uerè Nonius refert,*

Sup Oceani ſtagna alta patris, terrarũ amfracta reuiſam.

12 Apollo, qui umbilicum certum terrarũ optines] *Vetus fama eſt, Ioui ingentẽ cupidinem orbis dimetiendi, eiusq; meditullium addiſcendi, inceſſiſſe, tum eum duos coruos, ut refert Strabo, uel, ut Plutarchus, olores, uel aquilas paris celeritatis dimiſiſſe, alteram ad ortum, alteram ad occaſum, qui ab ultimis terrarũ oris mediterranea petentes, eôdem Pythona conuolarint, eiusq; rei argumento, aureas duas aquilas illic poſteà dicatas fuiſſe, Pindari interpres ſcribit. Exinde quemadmodũ refert Pauſanias, locum illum terræ mediũ Delphi rati ſunt, & umbilicum orbis terrarum, qualiter Liuius libro duodequadrageſimo nuncupat: in illoq; è lapide candido extructum monumẽtum ijdem* ΟΜΦΑΛΟΝ *appellauerunt. Ad ea reſpexit Ennius in relatis à Varrone uerbis:*

item

item & Ouidius Transformationum libro decimo, ibi,

– & orbe

In medio poſiti caruerunt præſide Delphi.

Similiter autor quiſquis eſt, obſcœni carminis, ait:

Pallas Cecropias tuetur arces,

Delphos Pythius orbis umbilicum.

Neque hic locus eſt terrarum medius] 13 *Plutarchus libello de defectis oraculis, ex auditione teſtis eſt, Epimenidem Phæſtium cum apud Deum fabulam Iouis ſupra recitatam reprehenderet, oraculumq; obſcurum & ambiguum accepiſſet, dixiſſe:*

Non eſt umbilicus quiſquam terræ'ue, maris'ue,

Sed ſi quis, notus Dijs, haud mortalibus ullis.

Quam ob rem eum paulò pòſt Deus, uti tum credebant & loquebantur, meriti pœna multauit, qui fabulæ priſcæ, tanquam tabulæ pictæ, manus audaces intulerat. Debuit igitur cùm quod hîc poſuit, ſcripſit Varro, alieno periculo cautior, ſi quam numini reuerentiam præſtitit, hæc potius reticere, quàm dicere.

Neque noſter vmbilicus eſt hominis 14 medius] *Andreas Veſalius aduerſus receptam uirorum principum autoritate ſententiam, idem libro ſexto de hominis fabrica tradit, ſcilicet, non in umbilico, ſed in pubis oßium coalitu, corporis humani exquiſitiſſimum medium eſſe. At in diuerſa hæreſi M. Vitruuius eſt, qui libri tertij, capite primo, inquit, Corporis centrum medium naturaliter eſt umbilicus. Nanque ſi homo collocatus fuerit ſupinus, manibus & pedibus panſis, circiniq; collocatum centrum in umbilico eius, circumagendo rotundationem utrarunque manuum & pedum digiti linea tangentur. Hoc Claudio Galeno placuit, libro xv. de uſu partium,*

& libro 11. de placitis Hippocratis & Platonis.

15 Ad latus foraminis eſt quiddam, vt theſauri ſpecie, quod Græci ὀμφαλὸν dixerunt] Legebatur etiã ex libro Auguſtini, ut terræ mediũ eſſet, quod uocãt Delphis in æde foramẽ. ad latũ eſt quiddã, vt theſauri ſpeciẽ, quod Gręci ὀμφαλὸν vmbilicum dixerunt: uerùm ea ſcriptio difficultatem, & mẽdi ſuſpicionem magnam inducit. Quid enim eſt dicere, uocãt Delphis in æde foramen? Quid eſt præterea dicere, ad latum eſt quiddã, vt theſauri ſpeciẽ? aliquid eſſet fortaſſe, ſi ſpecimen uel ſi ſpecies ſcriberetur: ſed tum quomodo illa ad latum &c. ſuperioribus uerbis coniungeres? Et ſanè cùm z, pro m, ſcribẽdo frequenter librarij olim uterentur, facili negotio factum eſt, ut ad latuz, ad latum, pro ad latus explicuerint. Ceterùm quòd foramen in patrium caſum mutaui, & tranſpoſui, in eo iudicium Adriani Turnebij, unius omnium noſtra, patrumq; memoria doctiſſimi uiri ſecutus ſum. Locum uerò qui Delphis ad foraminis latus erat, Græci ὀμφαλὸν dixerunt, nõ ut anteà recepta ſcriptio ſuadebat, umbilicum: cuius ſanè mentio è gloſſemate in contextum irrepſit. Refertur autem fuiſſe is locus theſauri ſpecie: quòd in eo multi populi theſauros ſuos ſeruandos deponerẽt, & Dei tutelæ cõmitterent, ut de Gnidijs prædicto libro nominatim Plutarchus ſcripſit. Sic in templo Dianæ Epheſiæ theſaurũ ab Annibale depoſitum, apud eundẽ, & ab alijs in Bacchidibus Plauti, & in Aulularia legimus. Vnde eſt quod in æde ſacra depoſitorum Athenæi libro VI. cap. 4. & in Pandectis ciuilibus iactam ſæpe mentionem reperias.

Coſauli,doloſi eſo] *Vulgaris lectio fuit*, orcu- 16
lo,doloſi, eſo, pro oſculo, dolori, ero &c. *Sed in omnibus libris & hæc uerba, & quæ proximis duabus lineis conſequuntur, mendoſa.*

Sed fiet mutua muli] *Cùm legeretur* mutuã 17
mulinam. *Eraſmus* mutuum muli, *ſubaudito ſcabunt, hoc loco legendum putauit. Is certè erat titulus Satyræ noſtri Varronis, quam bis in Nonij monumẽtis prolatam eſſe memini,* MVTVVM MVLI SCABVNT. *Sed non aliter quàm ſcripſi, etiam aduerſus librorum ueterum autoritatẽ, Octauio Pantagatho ratio metri legere perſuaſit. Sanè idem cetera huius epigrammatis uerba, anteà conturbata, in ordinem Auguſtino probatum, redegit: cùm antè ſic eſſet in manu ſcriptis & formis excuſis:*

Ridiculum eſt cùm te Caſcam tua caſca dicit.
Amica Philoptonis eius, qui ſenex puerum dicit puſum, puellam puſam.
Sic fiet mutuam mulinam, ut ſis uerè puſus tu, tua amica ſenex.

Et ut ea taceam quæ Pantagatho fœcundum ingenium peperit coniectando, poſtrema illa uerba, tua amica ſenexſt, *idem ex teſtimonio Priſciani libro* III. *in lucem eduxit. Fertur autem* Pomponij *apud illum hoc epigrãma, non ut hic erat,* Papinij: *& ibi proculdubiò ſemper lectio fuit emendatior. Pomponium etenim unum Atellanarum antiquiſſimum ſcriptorem Macrobij libro primo, A. Gellij* XVI. *capite ſeptimo, & Feſti decimoſeptimo, & decimooctauo; & alterum Tragœdum ab Horatij interpretibus laudari; at nuſquam Papinium pro uetere poëta recitari uidimus. Quibus adde Velleium Paterculum in poſteriore, ibi: Sanè non ignoremus eadem*

ætate fuiſſe Pomponium, ſenſibus celebrem, uerbis rudē, & nouitate inuenti à ſe operis commendabilem.

18 Ambegna bos apud Augures] *Placuit alijs legere hoc in loco,* ambiegna, *& iiſdem placuit in ſcriptione huius nominis, Feſti, & Fulgentij diſsidium. Feſtus ait, ſi uera Paulus retulit, ambegni bos & ueruex appellabātur, cùm ad corū utraque latera agni in ſacrificium ducebantur. Fulgentius in libro de obſcuris, Bæbius Macer, qui faſtalia dierū ſcripſit, ait, Iunoni eas quæ geminas parerēt oues, ſacrificare, cum duobus agnis altrinſecus alligatis, quas oues ambignas uocari, quaſi ex utraq; parte agnos habētes. Ex ijs Varro ambiegnas, Pompeius, ambegnas, Fulgentius ambignas dixerit. Ego Feſti chirographum ſecutus idem apud cæteros, ſcribendum, legendum, & retinendum eſſe contendo: facilior enim & planior eſt nominis ratio, uolēti quaſi ambagna, dicere* ambegna, *quàm uel ambigna, uel ambigna.*

19 Ennius: Vtinam ne in nemore &c.] *Quod ſcripſi, Bentinium anteà publicaſſe animaduertas, qui Politianum ex Centuriæ capite 28. autorem habuit, ut ille Ciceronem ex ad Atticum libro v. ubi in Enniano uerſu ſcriptum eſt nō* cecediſſet, *ut hic olim erat, ſed* accidiſſet, *quod hic approbauimus: uti approbamus &* trabes, *de qua Priſcianus teſtis libro* VII. *& Varro infrà, ubi de analogia.*

20 In Medo Ennius: Cælitum Camilla expectata] *Si Ennij Medus ulla comœdia fuit, quod non puto, debuit Varro more ſuo ſcripſiſſe,* Idē in Medo, *quoniam proximè ſuprà poſita uerba ipſius Ennij ſunt, hoc noſtro & Cicerone teſtibus. Verùm Macrobius libri* III. *capite 8. Sic habet: Nam & Pacuuius, cùm de Me-*

dea

dea loqueretur, Cælitum Camilla expectata aduenis, ſalue hoſpita. Quare illo duce, ſi mihi autoritas uoluntati par eſſet, uerba quæ uulgus Ennio *tribuit,* Pacuuij *eſſe uindicaſſem: & iam huius loci ſcriptio haberet,* In Medo Pacuuius. *Fuit enim eius ſic inſcripta comœdia, quam libris* XV. *&* XVII. *&* IIXX. *Pompeius protulit. Sed quod nunc nos duntaxat tentamus, poſteri adſeuerauerint.*

In nuptiis camillus, qui cumerum fert] 21

Libri omnes habuerunt cum merum, *ſed aliter ego* Q. Horatio I. *Sermonum & Pompeio Feſto autoribus ſcripſi: ex quo Paulus epitomes libro tertio, inquit, Cumerum uas nuptiale à ſimilitudine cumerarum, quæ fiunt palmeæ, uel ſparteæ ad uſum popularem, ſic appellatum. Idem de cumera, ſed corruptiſſimis uerbis epitomauit, Cumeram uocabant antiqui uas quoddam, quod opertum in nuptijs ferebant, in quo erant nubentis utenſilia, quod & camillum dicebant, eò quòd ſacrorũ miniſtrum* κάμιλλον *appellabant.* Notandum *tamen ex* Varroniana *doctrina, cumerũ adhibere in nuptijs, non fuiſſe ex more* Romano: *ſic enim ipſe ſcripſit:* in quo quod ſit in miniſterio plerique extrinſecus nectunt. *Hoc ego ita legere tam rectè quibuſdam nec ineruditis uideor, quàm in ſuperiore & in hac ſcriptione,* in quo quid ſit, *Itali peccaſſe uidentur.*

Verbum Græcum arbitror, quod apud Callimachum in poem. β. inueni] 22

κάμιλλον *nomen eſſe Græcum Sextus quoque Pompeius teſtatus eſt. Ad hæc apud Macrobium prædicto libro tertio, Statius Tullianus de uocabulis rerum libro primo, ait dixiſſe Callimachum, Thuſcos Camillum appellare, Mercu-*

rium, quo uocabulo ſignificant præminiſtrum deorum.

23 Plautus: Epeum fumificũ cocum] *Varro Plautum horum uerborum laudat autorem: non ſunt tamen hæc relata ex xx. ſuperſtitibus Plauti comœdijs, niſi mihi deficit memoria. Quòd uerò in ſequentibus dicit Epeum equum fecisſe, in eo minime ab Homero diſſentit, qui Odyſſeæ* Λ. *inquit,* – εἰς ἵππον κατεβαίνομεν ὃν κάμ' ἐπειός. *Eodemq; ſpectat hemiſtichion Vergilij Aeneidos* 11. *– ipſe doli fabricator Epeus.*

24 Qui enim verba &c.] *Tota hæc clauſula mendoſiſsimè ſcripta fuit, cuius priorem partem correxi, poſteriorem Itali reſtituerãt: utrique uerò ex opinione ſola, audacter, ſed, ut uidetur, feliciter: niſi me ſcriptoris iſtius omniſq; antiquæ orationis amor atq; ueneratio, cæco eſſe iudicio facit. Erat in libris omnibus,* qui enim verba haberet orationum publicè aduerſus eum quod legebatur, ab oratione orator dictus. *Sed illa* aduerſus eum *quò referas? Equidem cõcinnius putaui ſcribere,* aduerſus eum cum quo belligerabatur; *quoniam facile fuit Librarium, ut aliàs admonuimus, ob dictionum & ſcriptionis ſimilitudinem,* eum & cum, *alterius obliuiſci: facilè quoque belligerandi uerbum reſpuere, quo tamen Plautus, Ennius, & Liuius uſi ſunt. Sequitur deinde,* cum res maiore ratione legebantur potiſsimum, qui cauſſam commodiſsimè orare poterant. *Itali ex coniectura uериſimili ſuaſerunt,* cum res maior erat, eo legebantur, *& id quidem rectè: ſed illius prouerbij collocatio, & qualitas perſonarũ de quibus loquimur, facit ut malim ſcriptũ,* eò legabantur. *Iidem enim & oratores & legati, quod eò legabantur*

tur *dicti fuere: ut* Plauti Sticho *actus* III. *Scena altera,* Oratores *ſunt populi ſummi uiri, Ambracia ueniunt huc legati publice.*

Apud Ennium:Menſes conſtituit]*Quod* 25
eſt infrà, Eundem Pompilium &c. *indicat Ennium de Numa Pompilio dixiſſe*, menſes cõſtituit, idémque ancilia. *Sic autem legendum inter doctos conuenit, exploſo quod erat*, menſas conſtituit. *Pompilius enim ad curſus Lunæ in* XII. *menſes deſcripſit annum. Idemq́; cum imperij pignus ſcutum breue, dictum ancile, è cælo cecidiſſet, ad illius exemplar à Mamurio Veturio complura fieri curauit, ita ne cæleſte internoſci poſſet, eaq́; Salijs ſeruanda tradidit, quos per urbem canentes carmina Saliaria, cum tripudijs ſolenniq́; ſaltatu, arma cæleſtia per urbem ferre iuſsit, uti Liuius & alij retulerunt. De cæteris Sext. Pompeius, libro* XI. *& Ouidius libro Faſtorum tertio, in ancilis etymo cum Varrone conſentiunt, ut dicatur ancile, quod ab omni parte reciſum eſt.*

Saturnio in carmine. Libáque, fictores, 26
Argæos] *Varro ſuprà de uerſibus, quos uocabant Saturnios mentionem fecit, qui quales fuerint, Sext. Pompeius libro* XVII. *indicat, his uerbis: Verſus quoque antiquiſsimi, quibus Faunus fata ceciniſſe hominibus uidetur, Saturnij appellantur, quibus & à Næuio bellum Punicum ſcriptum eſt, & à multis alijs plura compoſita ſunt. Hoc igitur adſcuero, Q. Ennium, uti carmẽ Sotadicum ſcripſit, ex quo citat eum Paulus epitomes libro* III. *ſic & Saturnium carmen compoſuiſſe, ex quo noſter hic autor eum autorem habet. Verba enim* libaque &c. *idem Pompeius libro* IIXX. *ubi de Tutulo, Ennij eſſe exiſtimauit,*

mauit, & pro Ennianis retulit. Quam ob rem quod erat etiam in manuſcripto quodã, poſt inciſa, Item alibi. Liba que &c. *meritò reſpuiſſe uideri debeo: ſi certum teſtimonium eſt incerto in literis idoneius.*

27 Apud Lucilium: Thynno &c.] *Luciliana quæ ſequuntur ita mendoſa & Italis & Gallis omnibus uidentur, ut animum planè de eorum reſtitutione deſpondeam.*

28 Ea à corde, quod inde ſortes] *Seruius Maurus Apollinis cortinam ait dici, locum unde oraculum exiret: uel quia Apollinis tripos corio Pythonis tectus eſt, uel quia ibi ſint certa reſponſa, quaſi certina: uel quod eſt uerius, quia illic cor uatis tenetur. Nam cauerna in templo fuit, ad quam Phœbas rapta uaticinabatur. Hæc ille ad III. Aeneidos, ibi, - adytis cortina recluſis.*

29 In Corniculariá: Qui regi latrocinatus decem annos Demetrio] *Libri omnes tam ſcripti, quàm excuſi habent,* Cornicula, *& quidam,* latrocinatus duodecim annos. *Sed in utroque mendum eſt: at in illo grauius peccatur ab ijs, qui ut Aululariam, & Moſtellariam, inſcriptam à Plauto Cornicularium animaduertiſſe debuerunt. Sic enim à Nonio Marcello de proprietate ſermonum profertur & aliis, & ibi: Latrocinari, militare mercede. Plautus in Cornicularia; Latrocinatus decem annos &c.*

30 Quòd itent vti illi milites cum ferro] *Dixit Varro à ueteribus poëtis milites appellari nomine latronum, ut Plauti Milite Glorioſo: -*

Quinquaginta centum in Siclo latrones,
Sunt homines; Tu quos occidiſti uno die.

Et infrà:

Vt in tabellis, quas conſignaui hic heri,
Latronibus ego denumerem ſtipendium.
Nam rex Seleucus me opere orauit maxumo,
Vt ſibi latrones cogerem, & conſcriberem.

Ideo uerò militibus eam indiderunt appellationem, quòd ſimiliter armati incederent. Hoc autem, ut ex Varronis ſcripto elici poſſet, Italorum conſenſio fecit, legendo, itent, *pro eo quod erat,* item: *& poſtquam nobis ex eo uerbo ad hunc locum elucidandum, eorum induſtria, aperta feneſtra fuit, hic aliquantulum mihi permiſi, quo accuratius ſtudioſorum utilitatibus inſeruirem: & eam ob rem inter ſimiles literas, pronomen quod excidiſſe putaui, priſtinæ luci ex opinione reſtitui: ut cùm anteà* item vti milites *eſſet, in poſterum* itent vt illi milites *legi debeat. Videbunt ingenioſi noſtrá'ne, an recepta ſcriptio ſit planior, & utra ſenſui autoris accommodatior.*

Diabathra in pedibus habebat, & erat 31
amictus epicroco] *Diabathra genus ſolearū Græcanicarum dixit Feſtus: & de illo nomine factum id quo Plautus in Aulularia uſus, ibi, Sedētarij, ſutates, diabathrarij. Præterea epicrocum idem Feſtus dixit, genus amiculi croco tinctum, tenue, & perlucidum.*

In Menechmis Plauti: Inter ancillas &c.] 32
Hæc uerba ex actus quinti Scena ſecunda è Menæchmis proferuntur e nomine comœdiæ à nobis emendato, ex ipſa eius inſcriptione, & Sex. Pompeij libris ſcriptis, cùm antè perperam eſſet, Menahemis, *& hic, & infrà, ubi producitur eius comœdiæ uerſus, ex actus primi ſcena tertia.*

In Perſa: Iam Pol ille &c.] *Plautus Perſa,* 33

actus primi ſcena tertia, uerba quæ huc adducta inde ſunt, adhuc habet: ubi cõgerronẽ pro cõſultore, qui eaſdẽ exerceat nugas, rectè accipit Nonius, *à gerris, id eſt, nugis, & ineptijs, quo ſenſu* Plautus *uſurpat. Aſinariæ actus* III. *ſcena tertia.* Hoc *autẽ nomen gerræ, peregrinũ eſt, &* Græcũ, *quod in* Naxo *inſula faſcinos ſignificabat.* Idem *ut hoc loco ſcriptum malim*, in Latio, cratis *dicitur.*

34 In Trinummo: Nam illum tibi] *Sic poſui ex actus* II. *ſcena quarta, cùm hic antè ſcriptum eſſet,* illum ibi: *in quo mendoſi libri omnes.*

35 In Friuolaria: Vbi rorarij] *Superiores recitatæ comœdiæ Plauti ſine dubio ſunt. Friuolaria de Varronianis apud A. Gellium, id eſt, indubitatis non eſt, nihilo tamen minus eam in Plautinarum indicem refero, teſtimonio Sexti Pompeij libro* XVII. *adiutus. Quod autem hîc Varro de rorarijs dicit, Nonius, & Feſtus, & Liuius totidem prope literis ſcripſerũt: ipſeq; noſter repetijt autor, libro tertio de uita populi Romani.*

36 Poteſt id ab arbitrio: nam id eſt ad arbitrium eius, cuius miniſter] *Marcus Portius Cato de re militari ſcripſit, accenſos, adminiſtratores eſſe, ut retulit Varro. Sed quod ſubiungit,* poteſt id ab arbitrio, *nemo ſuprà proximè dictis coniunxerit. Idemq; Varro libro* XX. *Rhetoricorum, ut accepi, ſic poſuit: Conſules ac prætores qui ſequebantur in caſtra, accenſi dicti: quòd ad neceſſarias res ſæpius acciantur, uelut accerſiti. Ex ijsq; tentauerim hoc in loco legere,* poteſt eſſe id ab accio; *uerùm coniecturam hanc non antè amabo, quàm intelligam eruditis uiris placere. Itaque in eo nihil mutaui: ſed in eo quod ſequitur,* nam id eſt, *opinionẽ Itali cuiuſdã probaui, quæ lucis aliquãtulum addere huic*

loco

*loco uiſa eſt,hoc ſenſu:miniſter ducis imperatoris,aut conſulis,aut Prætoris, accēſus dictus eſt,quod ad eius,cui miniſtraret,arbitrium,acciretur. Quod erat,*nam inde, *nullo modo in hunc locum quadrare exiſtimaui, neque quiſquam ingenioſus aptum illud iudicauerit.*

Pacuuius deum triportēta in Mercatore 37
ponit] *Locus hic mendis deturpatus & deformatus eſt, in his pauculis uerbis: ante quæ deeſſe non pauca exiſtimo, & de quibus illa* in Mercatore, *ut quæ ad Plautum referantur, uereor ne ſint eximenda.*

Idem in Mercatore: Non tibi iſtuc ma- 38
gis diuidiæ eſt] *Depromptа ſunt hæc ex eius comœdiæ actus tertij ſcena quarta: ubi* diuidiæ eſt, *quod ſcripſi legitur. Quare meritò neglexi quod hic fuit,* diuidia eſt, *talis autem legere* diuidiæ 'ſt, *magis placet, ego non moror.*

Sed quid tibi 'ſt: lien necat] *Licet hic ſcri-* 39
ptum eſſet, tibi eſt: lienes necant, *neglecta librorū Varronianorū fide, Plautinos ſecutus ſum, & ſcripſi qualiter eſt in Curculione actus ſecundi ſcena prima. Ceterùm quæ proximè ſequuntur, adducta ex Phagone, ex Paraſito pigro, ex Fugitiuis, ex Neruolaria (cuius loco falsò credebatur producta Ciſtellaria) ex Plautinis comœdijs ſunt, quemadmodū ſuprà annotauimus: & opinionis noſtræ de Paraſito & Neruolaria fautorem & adiutorem Sextum Pompeium habemus.*

In Neruolaria: Non quaſi &c.] *Sic manu-* 40
ſcriptus alius ab Auguſtiniano, ſcriptū habuit: huius itaq; probaui ſcripturam, et ab uetere quæ fuit in illo, deſciui. Quod enim legebatur hic in Ciſtellaria, *falſum eius comœdiæ perlectio docet, cū in ea Plauti uerba quæ pro-*

ſert

ſert Varro, minime reperiantur.

41 Schœniculæ ab ſchœno nugatorio vnguento] *Nõ placuit uetus ſcriptio,* ſcæniculæ ab ſcæno: *ſic enim eſt apud Feſtum libro XVII. Schœniculas appellat ab ſchœno meretrices Plautus, propter uſum unguenti eius quod eſt peſſimi generis. Et quidem Græcis σχοῖνος iuncus eſt, ut de illo odorato M. Cato intellexerit, libro Ruſtico, ibi, Schœnũ & calamum in pila contundito, quod ſiet ſextarium unum, eodem in dolium infundito, ut odoratum ſiet: quo in loco Georgius Alexandrinus malè ſchœnum, ut ſi eſſet σχῖνος, lentiſcum interpretatur. Itaque cùm in compoſitione unguentorũ Plinius iunci fecerit mentionem, libri XIII. capite primo, ſchœnum è iunco factum fuiſſe conijcio. Id uerò Pompeius dixit peſſimi generis, quo meretrices in Pœnulo Plautus delibutas ait: idem uocat Varro nugatorium, uti nugatorias res, abiectas ac uiles, ſcriptores ueteres frequẽter appellauerunt. Eam ob rem Petri Victorij emẽdationem huius loci probaui, & opinionem ſecutus ſum, ex qua* nugatorio vnguento *legendum hic cenſuit, cùm anteà maculosè* nugario vng. *legeretur. Sed tamen Antonius Auguſtinus in diuerſa ſententia eſt, qui* nucario vnguento *ſcribendum exiſtimat. Ego uerò nõ uideo, quid nuci & ſchœno cõmune ſit: peritiores diſcreuerint.*

42 Ibidem: Scrantiæ, ſcrupedæ, ſtritabillæ, Tantalæ] *Varro indicat ſe hæc de Neruolaria promere, ut emendari Nonium oporteat, ubi ita ſcriptum habet: Scraptas, ſcrupedas, ſtrictiuelas, exprobratio deformitatis meretricũ. Plautus in Vidularia: Scraptæ, ſcrupedæ ſtrictiuelæ, ſordidæ. Sed ad hæc uideamus quæ libro tertio A. Gellius ſcripſit: Phauorinus, inquit, noſter cum*

Neru

Neruulariam Plauti *legerem, quæ inter incertas eſt habita, & audiſſet ex ea comœdia uerſum hunc,*

Strateæ, ſcrupedæ, ſtratiuolæ, ſordidæ,

Delectatus *facetia uerborum antiquitate, meretricum uitia atque deformitates ſignificantium*. Vel *unus hercle, inquit, hic uerſus*, Plauti *eſſe hanc fabulã ſatis poteſt fidei feciſſe.* Hoc *explorato, uitium in libris* Nonianis *eſſe liquet: quemadmodum ex* Varronis *teſtimonio, ubi ſtritabillas ait à ſtritilando dictas, conſtat peccatum à librarijs eſſe in* A. Gellianis *codicibus, dum uerba* Plauti *referuntur, quæ ex huius loci collatione purgari facile poſſunt.*

In Aſtraba: Actioſa annonam è vili cō- 43
cinna vireis] *Quod fuit in libro* Auguſtini *minime mutaui, quamuis uetus receptaq; lectio aliter habeat, meliuſq; fortaſſe,* Actioſæ annonam caram è vili concinant vireis. *Quibus uerbis explicandis, in manuſcripto uetere citatur* Claudius *neſcio quis, in excuſis,* Carbilius, *utrobi melius, hoc quoque me neſcire confiteor.* Planè Sitelitergus *&* Ceſtio, *quæ proximè ſequentibus in uerbis adducuntur,* Plautinæ *comœdiæ ſunt.*

In Pœnulo: Vinceretis] Ex *ea comœdia,* 44
act. III. *Scena prima: & quod proximè ſequitur,* In Truculento, *eſt ex eius, actus* II. *Scena ſexta: & quod infrà refertur ex* Curculione, *ex actus tertij ſcena prima tranſcriptum eſt.*

Homerus vocat ἄμαξαν, & propinquum 45
eius ſignum βοώτην] L. Aelium Gallum *præceptorem ſuum, hominem doctiſſimum,* Varro *in his ſcribendis quæ de ſeptentrionibus ponit, apud* A. Gelliū *libri ſecundi capite uiceſimoprimo ſecutus eſſe dicitur.* Quod *autē ex*

Homero petit, reperies Iliados Σ. *ibi:*

ἄρκτον θ', ἣν καὶ ἅμαξαν ἐπίκλησιν καλέουσιν.

Item Odyſſeæ E. *ibi:*

πληιάδας τ' ἐσορῶντι, καὶ ὀψὲ δύοντα βοώτην,

ἄρκτον θ', ἣν καὶ ἅμαξαν ἐπίκλησιν καλέουσιν.

46 Itaque in Condalio eſt] *Condalium Plauti comœdia eſt, quam eidem Feſtus libro* XIV. *tribuit. Quod ex eiuſdem* Trinummo *refertur, de ſcena ſecunda actus quarti promptum eſt.*

47 Apud Plautum: Vt tranſuerſus, nõ prouerſus cedit] *Plauti ipſa propria uerba in memoria Varronis penitus non inſederunt, cùm paulò aliter is habeat Pſeudoli, actus* III. *Scena tertia,*

Non prorſus, uerum ex tranſuerſo cedit, quaſi cancer ſolet.

48 Apud Terentium: Scortatur, potat, olet vnguentum, de meo] *Diuerſa Terentiani omnes ad unum codices in Adelphis, actus primi ſcena ſecunda, referunt,*

Obſonat, potat, olet unguenta de meo:

Eamq; lectionem Tiberius Claudius Donatus in commentarijs agnoſcit. Quod ſcribenti Politiano manum inijcit, cumq; mirabundum, uelut animo fluctuantem, inter ea retinet, mendum'ne in Terentij omnibus libris dicere debeat, an quod uix auſit credere, Varronem memoria uacillaſſe. Prius illud Florido Sabino magis placuit, qui uitium Terentiani, uti nunc eſt, loci, imputat Donato: & à Varrone prolatam ſcripturam ut probet, expendit quod paulò ante Mitio dicit,

Non eſt flagitium, mihi crede, adoleſcentulum
Scortari, neque potare, non eſt, neque fores Effringere—

Sed

Sed quod poſt illa de meo, *ſequitur, Amat? dabitur à me argentum, uerbo præcedenti ſuperius* Scortari *reſpondere uidetur: & ſuperfluè Amat poſitum ſit à poëta, ſi is ſcripſit,* Scortatur, potat, olet. *Quam ob rem tutius eſſe ſemper duxi, fateri cum Politiano, etiam maximis quibuſque ingenijs officere incuriam nonnunquam, prodeſſe uſquequaque diligentiam.*

Apud Plautū: Si vnum epityrum] *Verſus* 49
hic eſt ex initio Militis glorioſi.

Flexanima tanquam lymphata] *Bellè hunc* 50
locum Itali ex libro primo Ciceronis de diuinatione reſtituerunt, cùm antè Flexanimat aquam lymphatam *in omnibus libris & manu ſcriptis, & formis excuſis legeretur.*

Pullos dicitur tranquillo mari facere] 51
Quod ait, dicitur, *eſt in Plauti Pœnulo, ibi,*

Iam hercle tu periſti, niſi illā mihi tam tranquillā facis,
Quā mare eſt olim, quom ibi alcedo pullos educit ſuos.

Duodecimuiros Græco ritu ſacra non 52
Romano facere] *Liber, cuius Antonius Auguſtinus eſt poſſeſſor, ſic habet: alter quidam,* quindecimuiros. *Ego tentare ex hac nota uolo, an non probabilius ſit, Varronem ad uerba ſenatuſconſulti reſpexiſſe, quod factum ait Liuius libro* xxv. *ut decemuiri ſacra Græco ritu facerent: quod in Marcij uatis carminibus ſcriptum fuiſſe, teſtis eſt Macrobius libri primi cap.* 17. *Et niſi Marciani uerſus, ad illosq́; ſenatuſconſultum accommodatum, de ludis Apollinaribus tantum mentionem feciſſe uoluerunt, hic proculdubio ſcribendum eſt,* decemuiros.

Plautus dicit: Quod volet] *Fuere hæc Plau-* 53
ti uerba ex comœdia aliqua, earum quæ perierunt.

54 Euax iurgio &c.] *Hoc eſt ex ſcena ſecunda actus primi in* Menæchmis Plauti, *qui* Bacchidibus *act.* III. *ſcena tertia, dixit,* Euax, *aſpexiſti aquam: item* Caſina *act.* IV. *Scena quarta,* Euax, *nunc pol demum ego ſum liber.*

55 Apud Popilium: Heu] *Emendaui quod erat* Pompilium, *in* Popilium: *cùm ille nuſquam ſit inter poëtas, hic apud* M. Tullium *quaſi comicus refertur,* Epiſtolarum ad familiares *libro* IX. Delectauerunt. *Pompilius autem ſcriptor à* Rege Numa *nullus fuit, niſi ſi* M. Pompilius *Andronicus: qui cùm ſe in urbe non ſolum Antonio Gniphoni, ſed cæteris etiam deterioribus poſtponi uideret, Cumas tranſijt, ibiq; inter cætera opuſculum Annalium elenchorum compoſuit. Sed neque huius opinor* Nonium *meminiſſe, ibi,* Cluet, *nominat. Pompilius, Cluor tibicinas inter: ubi lego,* Popilius. *minus igitur ut recentiorem, inter uetuſtiores linguæ* Latinæ *autores, Andronicum noſter* Varro *citauerit.*

56 Quod ait, Iurgio, id eſt, litibus] *Imò uerò rectè iurgium inter coniuges dixit* Plautus, *cùm lis inter eos eſſe non poſſet,* Varroq; *illud quod cum honore multo uiri tam excellentis doctrinæ dixerim, male interpretatus eſt. Sic enim* M. Tullius *libro de republica quarto:* Admiror, *nec rerum ſolum, ſed etiã uerborũ elegantiã: ſi iurgant, inquit, beniuolorum concertatio, non lis inimicorum, iurgium dicitur.* Et in *ſequenti:* Iurgare *ergo lex putat inter ſe uicinos, non litigare:* Itaque *iurgium ut leuius, eſt inter beneuolos aut propinquos diſſenſio, uel contentio: lis ut grauius quiddam, inimicorum concertatio.* Qua de re Titus Caius *libro primo ad edictum prouinciale, ubi dixit,* Lis *nulla nobis eſſe poteſt cum eo, quem in poteſtate*

ſtate

ſtate habemus: non negauit poſſe aliquo caſu filium in ſacris cum patre, uxorem in manu cum marito, iurgio contendere. In quo uiderint noſtri, ſi iuris adeò ſunt ut ſibi conſulti uidentur.

Apud Lucretiū: Atque alios ibi ab reb.] 5
Non extat hic uerſus in ſuperſtitibus de rerum natura T. Lucretij libris: quare magis puto, aut alterius Lucretij uerſum proferri, aut pro Lucretio legendum eſſe Luciliū. Hic in Satyra primus laudem adeptus eſt, ut ait M. Fabius libro x. & eius tractationi uerſus à Varrone prolatus maximè conuenit. Lucretij certè & Lucilij nominum affinitas ambiguam in Macrobio peperit lectionem, libro VI. capite I.

Apud Matium] *Manuſcripti libri inter ſe diuerſi* 58
ſunt, cum Auguſtini codex hanc ſcripturam, alter aliam referat, apud Marcium vatem. *Illam autem reſpui, quia Cneum Marcium uatem antiquiorem ſcriptorem ſcio, quàm ut Varroni autor idoneus linguæ Latinæ uiſus fuerit. Eius ſanè carmina nō ſolum ut illuſtris poëtæ, aut ut prophetæ oraculorum interpretis, ſed ut oracula, fidem ex euentu cùm habuiſſent, autoritatē hominis poſtmodum in immenſum auxerunt, ut eſt apud Liuium libro XXV. Ex illis carminibus Sex. Pompeius uerba quædam explicat, libro XII. At uerſus à Varrone hoc in loco prolati ex Cnei Matij Iliade, ut opinor, illis ipſis ſimillimi ſunt, quos A. Gellius libro IX. cap. 14. ex decimotertio, & ex uiceſimo Iliados producit. Fuit autem Matius uir erudítiſſimus, & nouorum uerborum fingendorum ſtudioſiſſimus, Mimiamborumq; ſcriptor impenſè doctus, quemadmodum A. Gellius teſtatur libri XV. cap. 25. & XX. cap. 8. item & Macrobius libri I. Saturnal. capite quarto. Re-*

ceptam igitur librorum omnium formis excuſorum conſenſione ſcripturam, nō ſine cauſſa mihi uideor retinuiſſe.

59 Apud Plautum: Qui ego antehac te amaui] *Paulò aliter habet initium Ciſtellariæ: Tum antehac te amaui, & mihi amicam eſſe creui. Item ex eadem ſcena eſt, quod ſequitur apud Varronem:* Mihi frequentem &c. *Sicut & ſequentia*, Pol iſtoc quidem.

60 Apud Pacuuiũ: Dij monerint meliora] *Cum alijs in ſcriptis* munera dent, *legeretur, ex alijs aliter ſcripſi: atque ita legendum apud Ciceronem cenſeo, ſicubi ſcriptum fuit, Di maluerint meliora, atque amentiam auerruncaſſint meam: quæ uerba in libris de Finibus nō reperio, tametſi ex illis ea producat Nonius. Similiter poſuerat C. Lucilius libro XXVI. Di monerint meliora, amentiam auerruncaſſint tuam. Quam loquendi formam retinuit Virgilius in eo, — moniti meliora ſequamur. Eſt autem dictum* monerint, *pro monuerint, quemadmodum de mutatis coniugationibus ex Pacuuio obſeruat Nonius.*

61 Pipulo differam hic ante ædeis] *Sunt hæc ex Aulularia tranſcripta, actus tertij ſcena ſecunda. Ceterùm quæ infra dicuntur* Plauti: Gannit odioſus omni totæ familiæ, *non ſunt in Plauti comœdijs ſuperſtitibus.*

62 M. Accius in Caſsina] *Quæ de frendice ante hæc uerba poſita ſunt, mendo non carent. Verſus autem Plauti, quem profert Varro, eſt actus II. ſcena tertia: finiturq; in uerbo,* cupis. *Quæ ſequuntur,* ſues auoluerat: Ita trude neque in iure, neque in iudicium Aeſopi, nec theatrales. In Colace,

maculoſa ſunt: & ante illa, & poſt illa ingenioſus deſiderari multa perſpiciet.

Nexum Manilius ſcribit &c.] *M. Tullius* 63
Oratorio libro tertio, nexum dicit, quod per libram agitur, intellige ære adhibito, quod appenderetur. Mamilius ſiue Manilius idem dixerat, ſed illo caſu fieri nexum, quo res mancipio darentur. Mucius uim nominis ſpectauit, & à nectendo nexum dixit, quod per æs & libram fiebat, ut contrahentes obligarentur, non ut res manciparentur: quod refert Varro, ibi, præterquam ſi mancipio dentur*: quæ ita poſui uti legerat olim Be. Rutilius, neglecto ſcilicet eo, quod habet Auguſtini lectio,* præterquam quæ man. *Mucianæ uerò ſententiæ ratio fuit, in iure mancipationis, per quam teſtibus quinque præſentibus & libripende, certisq; prolatis uerbis, rerum dominia transferri, acquiriq; potuerunt. Semel autē tranſlato dominio, etſi quædam reliquiæ obligationis initæ contractui ſuperſtites remanſerunt, nexus tamen ideo dici minime poſſunt, cùm ab initio ad dominium rei quæ mancipi erat, transferendum, non ad ſe inuicem nectendum, partes animum adiecerint. Quamobrem uerius eſt quod Mucio, quàm quod Mamilio placuit. Et quidem apud Feſtum libro XII. hoc L. Aelius Gallus probat, cum ait, in eorum quæ necti dicuntur, genere, ſunt hæc: teſtamēti factio, nexi datio, nexi liberatio. Teſtamēti factio, quod ſcilicet hæres familiam per æs & librā emeret. Nexi datio, quod ſcilicet ſe quis necteret creditori, ob æs alienum bona fide ſeruiturus, quoad ſolidū perſoluiſſet. Item & nexi liberatio genus dicitur nexus, ſed quod ego, ut uerè dicā, non intelligo. Prudētiores uidebunt an eadem ſolennia in diſſoluendo nexu, quæ in contrahendo neceſſaria fuerint.*

Certè nihil, quod Galli uerba explanet, retulit Pompeius: qui tamen notat, nexum etiam dici ipſam pecuniam, quæ per nexum obligatur. Varro ibi, Nam idem &c. amplius ait, & ipſam rem putà imaginariè uenditam, nexum dici: quemadmodum in libris ciuilis ſtudij depoſitum, pro re depoſita & pro contractu, item & pignus, & commodatum, & fiduciam, & poſſeßiones & æſtimationes, pro rebus ipſis fidei creditis, poſſeßis, æſtimatisq́; apud Ciceronem obſeruauimus. Scripſi autem apud Varronem, quod obligatur per libram, neque ſuum fit, cùm anteà omnes ad unum codices haberent, ſuum ſit, uerùm illud perperam: neque enim agit autor noſter de re aliena obliganda, ſed de do-
64 minio, an per nexum acquiratur.

Qui bonam copiam eiurarent] Vetuſti omnes & ſcripti & excuſi libri habent, iurarent: ſed hanc mihi emendationem aduerſus fidem eorum M. Tullius ad Pætum Epiſtola, ad familiares libro nono perſuaſit. Tu autem, inquit, quod mihi bonam copiam eiures, nihil eſt: cùm enim rem augebas, quæſtiunculis te faciebam attentiorem: nunc cùm tam æquo animo bona perdis, non eo ſis conſilio, ut cùm me hoſpitio recipias, æſtimationem te aliquam putes accipere. Vtrobique uerò, tam apud hunc, quàm apud illum, bonam copiam eiurare eſt, iurare ſibi copiam & facultatem dandi aut faciendi minime ſuppetere. Explicationis huius Sext. Pompeius ſuffragator fuit, ex quo Paulus Pontifex refert: Eiuratio ſignificat id, quod deſideretur, nõ poſſe præſtari. Plautus, Eiurauit militiam, dixit, & P. Cornelius imperium eiurare, & eiurare magiſtratum. Quod fuit in codicibus antiquis, bonam copiam iurarent, uitioſum quod

eſſet,

eſſet,reſpui. Etenim qui coacti inopia ob æs alienum creditori caput liberum addicebant,ut interea ſeruitute temporaria obligationem diſſoluerent, more illo ſublato, iurantes ſibi bonam copiam eſſe, liberari non debuerunt: cùm ex ipſis iuriſiurãdi uerbis,ſibi bonorum eſſe copiam affirmarent. Multo igitur aptius & cohærentius eſt legere, Eiurationem bonæ copiæ factam ab illo, qui bonis careret,ne corpore ſeruire cogeretur. Hinc uerò ceſſionis bonorum originem Iuriſconſulti addiſcere poterunt, quam alibi nullis in literis inuenient. Sanè cùm hæc ſcripſiſſem,idem in libris de uerborum quæ ad ius pertinent, ſignificatione, non incurioſe factis Briſſonium uirum antiquitatis, & ſcriptorũ ueterum literatè peritũ ſcripſiſſe comperi, quo nomine Varroni gratulor,mihi gaudeo.

In Caſsina: Sine amet.] Ex actus II. ſcena 65
ſecunda. Sed quod Varro tranſcripſit, deliquium eſt, ibi paulò aliter, deliquom'ſt.

In Heſiona: Enimuero gladij lingula] 66
Fortaſſe aliter paulò ſcripſerat Varro, quàm in libris etiam antiquiſsimis legatur. Mouet dubitationem quod apud A. Gellium reperio, libri x. capite 25. De lingula, inquit, quoniam eſt minus frequens, admonendum exiſtimo, lingulam ueteres dixiſſe gladiolũ oblongum, in ſpeciem linguæ factum, cuius meminit Næuius in tragœdia Heſiona. Verſum Næuij appoſui:

Sine mihi gerere morẽ uidear lingua,uerum lingula.

Quare ſi quò me inclinat coniectura, eò dare me uelim, emendauerim, quod leui brachio duntaxat ſcribo; In Heſiona: uerum lingula, à gladij lingua; Doctiores uidebunt quod in fiducia, quid ſit æquius & melius.

67 In Demetrio: Perſibus, à peritè] *Antonius Auguſtinus legere tentauit, quod nos publicamus,* perſicus. *Id enim* perſibus, *à tot ſeculis, tot in libris receptum, ut omnino ineptum reliquimus.* Hoc uerò *præuerbium rectè à Gloſſemmatis* callidè exponitur: *ſic enim Feſtus libro* XIV. *ſcribit: Perſicus peracutum ſignificare uidetur, ut Plautus, niſi qui perſicus ſapit. Næuius, Et qui fuerit perſicus carpenti adeſt ratio. Quæ uerba ex Ennij Demetrio, autor noſter hoc loco proferre uoluiſſe uidetur.*

68 Protinam, à protinus continuitatem ſignific.] *Nonius Marcellus de uaria ſignificatione, refert Varronem ſcripſiſſe, protinam uel protinus, continuatione uel præteritæ, uel futuræ longitudinis dici. Quod ſi Terentius noſter hic non ſcripſit, ſub nomine continuitatis ſignificauit.*

69 Tarentilla Pacuuij] *Cn. Næuius & Tarentillam fecit, quam Sex. Pompeius libro primo in uerbo, Adnutat, commemorat. Ad illius diſcrimen fortaſſè, Varro Pacuuij mentionem hic habuit. Mirum tamen cur non potius Pacuuiũ, & Pacuuiana diſtulerit, ſi antequã Tarentillam citaret, & poſteaquam citauit, Næuiana recitat. Nemo enim unquam Pacuuium ex Tunicularia, aut ex Bello Punico autorem habuit: ex illis Næuium complures laudauere. Is enim ſe primo Punico bello ſtipendia feciſſe ait, in eo carmine quod de eodem bello ſcripſit, ut noſter Varro retulit libro de poëtis primo. Item Feſtus lib.* XV. *&* XVII. *ubi Saturnio carmine inquit, à Næuio bellum Punicum ſcriptum eſt. Eadem C. Suetonius libro de claris Grammaticis ait, C. Octauium Lampadionem Næuij Punicum bellum, quod erat unico uolumine & continenti*

ſcrip

ſcriptura expoſitum, in ſeptem libros diuiſiſſe. Eiuſdemq́; Næuij Tuniculariam Sex. Pompeius libro x i i. *&* x i v. *citat. Quò magis putem à Librarijs additum hoc loco nomen Pacuuij: ſed hoc ſuſpenſa manu à nobis ſcriptum accipi uelim.*

AD LIBRVM VII.

Cauſſam quare ab impoſitis] *Placuit hæc lectio Auguſtino, quam ſtudioſi probabunt, ut ſpero, & confido. Melior etenim eſt quàm illa, quæ in omnibus fere libris fuit, & ſuperioribus proxime dictis minimè conueniebat, cùm legeretur,* cauſſa inquam cur eas ab impoſitis nominibus declinarint, quam oſtendi. 1

In his rebus quæ copulæ ſunt, ac hís iunguntur verba] *Gabriel Faërnus delendum illud* ac, *Antonius Auguſtinus ſcribendum* atque hís *exiſtimat: ego nihil mutandum cenſeo. Idem enim ualet* ac, *quod* atque. *Illud autem ne quis ſuperfluere credat, filum orationis ex eo ſuadet, quod aut* ac his *delere oporteret, aut nihil omnino mutare: illo etenim ſublato præpoſitio ex initio clauſulæ tollenda eſſet, quod ucrius locum corrumpere, quàm emendare dici poſſet.* 2

Tum fiunt ex vna ſyllaba vnum] *Loci huius reſtitutionem omnes deſperauerunt, in quo tamen malui ſcripturam amplecti, quæ ſenſum qualemqualem, quàm eam ſequi quæ nullum prorſus referret. Legebatur,* cum fiunt tunc ex vna ſyllaba, illud & maneat vnum. *Ego ut eius quod emendaui ratio conſtet, aduertendum ad Varronem imprimis deſidero: is de con-* 3

iunct

iunctione loquitur, quæ colligat ſiue res, ſiue perſonas, & tandem ait, omnia nomina, atque ideo omnia etiam verba tum fiunt ex vna ſyllaba vnum, *ſcilicet in ſermone*, cum & illud maneat, *quod adhibita copula colligauit. Sanè Itali de illo* & maneat. *frequentes in hanc ſententiam ierunt, ut* remaneat *ſcriberetur: ſed id ego nihil moror.*

4 Ab equo equile] *Scripſi quod quidam ante me ut accepi, tentauerat, uerum autor noſter infrà eodem libro meam ſcripturam confirmat, ibi*, ſunt ab equo equile, ab ouibus ouile. *& alibi. Et quidem cùm hic ſcribat Varro, nomina declinari in earum rerum diſcrimina, quarum nomina non ſunt, non debuit uideri exemplum ſubiunxiſſe*, vt ab equo equito, *quod antea perperam legebatur. Neque enim equito nomen eſt, ſed uerbum. Melius autem forſan fuiſſet illos, quibus ea deſinentia placet, legere* equiſo, *pro equorum moderatore, quod uerbum Varroni familiare fuit, ut ex Trifilio, Marcipore, & Eumenidibus Varronis annotauit Nonius. Sed licet id nomen ea forma ſit factũ qua agaſo, & ita receptum, nihilo tamen minus in eo quod ſcripſi, perſiſto.*

5 Propter eorum qui dicunt vſum, ſunt declinati caſus] *Locum hunc quidam mendoſum aiũnt, & pro derelicto habẽt: alij*, eorum, propter quæ dicuntur, *ſcribendum exiſtimant, & hæc uerba ad ſententiam clauſulæ ſuperioris pertinere. Vetus lectio aut non interpuncta, aut peßimè, ſic habet:* pecunioſi, agrarij, quod foris pecunia & ager propter eorum, quam *uel ut in alijs*, qui dicuntur. Sunt declinati caſus, vt is qui de altero diceret,

ceret, diſtinguere poſſet &c. *Ex ijs quod mutaui in poſtrema ſyllaba uerbi*, dicuntur, *& priore eius quod ſequitur, ingenioſis iudicibus non dubito probatum iri: uel eò quòd infrà idem ſcribit, ſermonem uſus cauſſa conſtitutum.*

6 Et alia vrguent] *Sic & hoc in loco, & infra libro ſequenti in manuſcriptis eſt*, cùm alia vis vrguet, *quod annotaſſe uolui, ne quis ibi, uel hic peccatum à librarijs exiſtimet. Eſt enim & ita apud Feſtum in codice quem recenſuit Auguſtinus, ubi de Orco, quòd is deus nos maximè urgueat. Quinimò & Lucretius lib.* V L. *dixit, in campos albas deſcendere ningues.*

7 Quod vendidit Artemidorus] *Emendaui quod hic erat*, qui vendit Artemidorus: *tractat enim Varro, de ijs qui emerunt, non de ijs qui emunt, ergo ſcripſit de eo qui uendidit, nõ de eo qui uendit: ſimiliterq́; proximè ſequẽtibus uerbis, dicit: à regione, quòd ibi emit.*

8 Quum petimus] *Oratio ad utilitatem tum denique peruenit, ait autor, ſi eſt aperta, & breuis*, quum petímus: quod obſcurus & longus orator eſt odio. *Peruetuſtis in libris eſt*, quæ petimus: *cuius lectionis uitium, cauſſa fuit Auguſtino cogitandi an non*, quippe quod obſc. &c. *emendatius legeretur, & certe planius eſſet. Verumtamen auferre petendi uerbum, audacius paulò uideretur: quare in illo mihi temperaui, & in id relatiuum mihi malui aliquid permittere.*

9 In ædificijs quid non videmus habere atrium περιστύλου ſimilitudinem, & cubiculum adæquale?] *Si quis in Varronis monumentis ſcopuloſus difficilisq́; locus eſt, hic certè unus ex omnibus mihi, neque fallor, meritiſſimò uidetur. Sciendum autem in*

urbe

urbe atria ianuis proxima, deinde periſtylia fuiſſe, quemadmodum ex Vitruuij libro ſexto licet conieƈtari. Atrium domus ſubdialis locus erat aream, ut Feſtus ait, continens. Periſtyliū progrediētibus interius atrio erat undiq; apud Romanos, columnis circunſcriptus, uel ex uſu Græcorum, porticus in tribus partibus habebat, ut idē Vitruuius prodidit. Cubiculum præterea quantum ex eodem poſſumus conijcere, poſt triclinium in parte domus interiore ſic ædificabatur, ut extrinſecus orientem ſolem acciperet. Iam uerò quid eſt dicere, habere atrium periſtylion ſimilitudinem, ut ego emendaui, quod erat περίϛιλιον, uel ut quidam legit, habere atrium περιείϛιλίον ſimile, & cubiculum ad æquale? Quid atrio & periſtylio commune fuit, ex quo ſimilia uideantur, niſi quòd utrunque in illa ædium erat parte, quæ omnium cōmunis credebatur, ut eò etiam inuocati ſuo iure de populo uenire poſſent? Earum certe forma qualem M. Pollio deſcribit, diuerſiſſima fuit. Ad hæc, cubiculum ad æquale periſtylij'ne, an atrij dixit Varro? alterutrum dixerit, neſcio: utrunq; falſum eſſe, certò ſcio. Itaque quod idem ſubiungit: cum tamen propter vtilitatem in his, diſsimilitudines potius, quàm ſimilitudines ſequamur, ad quod ſuperiorum referas? ad atrium'ne & periſtylium? an ad hoc & cubiculum? Equidem omnibus ingenij uiribus contendi, ex ueteris architeƈturæ ratione ſenſum loci huius indagare, ſed quamuis diu multumq; quæſierim, nihil potui excogitare, quod aliquo modo placeret: meliora ingenia quæ in hoc laborabunt, quod adipiſci non potui, fortaſſe conſequentur. Ego non minus libenter profero dubitationes, quàm opiniones meas.

Cum

Cum analogiam dicere non poſsint, ſequi non debeamus] *Vetuſti codices.* ſequi debeamus : *ſed uitioſa illa ſcriptura ex hoc patere poteſt, quòd M. Varro non pro analogia, ſed aduerſus analogiam hæc ſcribit. Quam ob rem ſi quid mihi libertatis emendando loco manifeſtè deprauato quibuſdam uideor aſſumpſiſſe, aduerſus librorum fidem, id an non iuſtè, accuratiores uidebunt.* 10

Tertium, vt finitum] *Variarunt hoc in uerbo ueteres libri, cùm ſic unus, alter* effinitũ, *habeat. Verũ ad rem aptius eſt, Romuli nomen ut finitum dicere, quàm effinitum, hocq; uerborum contextus ſuadet.* 11

Parmenſes, Albenſes, Romenſes] *Duo poſteriora uerba libris omnibus & impreßis, & manu ſcriptis deeſſe, mihi cum tranſalpinis conuenit. Ex illis uir doctus putat poſt uerborum* Roma *ſcribendum,* Romenſes & Albenſes, vt Parmenſes : *& eius opinionẽ laudo. Romenſes egò nuſquam legi, Albenſium qui fuere Marſi generis ſuprà eodem libro Varro, M. Fabius & Sext. Pompeius libro primo meminerunt. Neceſſe eſt autẽ utrorunq; mentionem ab autore factam dicere in ea terminatione, cùm in alia poſtmodũ repetat.* 12

Ab amor, legor, & eiuſmodi verbis, nõ eſt vocabulum] *Cum eſſet in omnibus* amabor, legor, & eiuſmodi uerbi, *Auguſtinus ex coniecturis in melius illa mutauit: ſed prætereà deerat huic loco negatio, quam addidi. Verbis etenim paßiuis deeſſe præteriti temporis uocem, indicat illius adſcitus, amatus ſum uel fui, amatus eram uel fueram: cùm ſcilicet adſcitur nomen paßiui ſignificatus, quod uerbo ſubſtantiuo coniunctum, ſufficitur in locum uocis deficientis.* 13

Vbi

14 Vbi lauetur æs, ærarias, non ærelauinas] *Sic ueteres libri, ſic noui omnes habent: uereor tamen ne tranſpoſitis uerbis ab autore ſcriptum fuerit, eos qui pro analogia eſſent, uoluiſſe,* vbi lauetur æs, ærelauinas, non ærarias *dici, ut uolebant, argentifodinas & ferrifodinas, cùm exemplar haberent aurifodinas.*

15 Non ſalſum, non inſalſum] *Erat hic* inſulſum, *quidam tentauit legere,* inſalſum, *quod ego amplexus ſum: at plus eo, negationem addidi. Quærunt enim & improbant analogiſtæ,* non doctum dici indoctum, non ſalſum, non inſalſum: *quod ſcilicet, eadem eis cauſſa uideatur, ſalſum in compoſitione retinendi, quæ doctum in compoſitione integrum conſeruauit. Nihilominus tamen conſuetudo quæ certiſſima loquendi magiſtra eſt, inſulſum recepit, ut iniquum, infectum, incluſum, inimicum, inſitum, inſultantem, inſipidum, inſipientem, & illum fortaſſe inficetum, cui publicando M. Antonius Muretus in Varijs lectionibus inſudauit.*

16 At ſi eſt quibuſcum, cùm nõ ibus, hibuſcum dicatur] *Coniectura ductus id emendaui, quod in recepta lectione uiſum eſt autoris ſententiæ repugnare. Mouit me præcedentium proximè literarum obſeruatio, & ea mihi hanc emendationem ſuaſit: ut ſuprà libro* IV. *ſcripſi,* ſumptum. Tum circum cauũ ædium erant &c. *Quod ſi ſuo loco non notaui, in alio tamen ſimilis mendi & emendationis commemini. Sanè quod ait Varro,* ibus, hibuſcum *non dici, in compoſitione uerum eſt, & ibus pro ijs, minus Latinum putauit conſuetudo. ſed id ueterum autoritate quãdoque plurimum ualuit, inquit Nonius. Titinius nanque Varro in Gemina dixit,*

ſi moratæ

ſi moratæ ſitis ambo ibus, ut ego maioribus.

Vt optum optius optimum] *Ita ſcripſi, cùm* 17
anterioribus proximis uerbis dicat M. Varro, alias vt duo prima abſint, *ſtatim uerò ſubiunxiſſe*, vt optimum, *quod hîc antea fuit, minimum uideri debet, niſi poſitiui, comparatiuiq́; facta mentione. Simileq́; proximè ſequens peccatum emendaui, ubi ſcribit*, aliàs vt primum & tertium deſit, vt in hoc melum melius meliſsinum, *cùm antè ſolum eſſet*, vt melius. *Quemadmodum uerò ſcripſi, ita in ſuperioribus ipſe Varro loquitur, unde firmiorem coniecturam mihi uideor accepiſſe.*

Neque alia quadriſyllaba fierent] *Cum* 18
eſſet in libris & impreſſis, & exſcriptis, alia triſyllaba, *Auguſtinus mendoſum ratus eſt locum: ego tamen ex ingenio ſcripturam inueſtigaui, quæ uerba autoris expendentibus, ni fallor, ſatisfaciet. Etenim conferens macrum, ſacrum, tenerum, eorum ſuperlatiua comperi conuenire, ſed hæret in comparatiuo, ut doceat analogiam non ſeruari. Quare ſi ad proportionem ſimiliter declinarentur*, non diſcreparent, *inquit*, in his macrior & magis ſacer, *eſſet enim potius ſacrior*, neque alia quadriſyllaba fierent, *ut ſcilicet tenerior, quo nomine Plinius libro decimo uſus, dixit, teneriores catulos.*

In aliis media non ſunt] *Vetus lectio fuit*, 18
in mediis non ſunt, *eam ego poſthabui docti cuiuſdam uiri ex Italis coniecturæ, quæ Varronis tractationi melius, & meo quoque ingenio quadrauit.*

Vt nominentur libertini, olim publi-

ci ſerui, Romani] *Adeò luxatus, mendiſq; deturpatus eſt hic locus, ut niſi audaciore caſtigandi ratione ſatis emendari non poßit.* Antiqui nouiq; codices *continent*, vt nominantur à libertinis orti publici ſerui Romani; *ex qua ſcriptura ſenſus omnino nullus erui poteſt: at emendatio noſtra locũ in plano ponere, manifeſtè cernitur: cùm in inſcriptis lapidibus, & in urbe, & in prouincijs, libertini generis homines Romanos cognominari reperias. Quod habent libri*, qui manumiſsi antequã ſub magiſtratus nomina qui eos liberarunt, ſuccedere cœperunt hinc quoque &c. *Legerim hoc modo*, qui manumiſsi antequam fuerint magiſtratibus qui eos liberarunt, nomina dare cœperunt. Hinc &c. *Sed hæc lectio per me in coniecturis eſto, de qua nihil certi, neque idoneum ullum autorem habemus, quòd ſi apud alium autorem aliquid ad morem illum poſitum inueniremus, manifeſtius tota manumißionis quæſtio intelligeretur.*

AD LIBRVM VIII.

1\. Crates nobilis grammaticus] *In Latino ſermone inquit* A. Gellius *libro* 11. *cap.* 25. *ſicut in Græco, alij* ἀναλογίαν *ſequendam putauerunt, alij* ἀνομαλίαν. *Duo autem Græci grammatici illuſtres, Ariſtarchus & Crates, ſumma ope ille* ἀναλογίαν, *hic* ἀνομαλίαν *defenſitauit. Idem cognomine Mallotes, primus, quantum opinatur Suetonius, ſtudium grammaticæ in urbem intulit, Romaniſq; exemplo fuit ad imitandum.*

Cetera ex illo repetas de claris grammaticis.

An vnius, an maioris partis] *Vetus ſcriptu-* 2
ra an vſus, *tractationi minime conueniebat, quare quod*
tentauerat Auguſtinus, lubens amplexus ſum, pro ea
quæ eſt apud me doctiſſimi uiri autoritas. Eius tamen ſi
diſpliceat acutioribus opinio, an nullius, *legere ſit'ne*
melius, docti iudicanto.

Vti oporteret, redigere &c.] *Et hæc, & 3*
quæ ſequuntur eò uſque, Nunc iam, *ita deprauata,*
deformataq; ſunt, ut planè de reſtitutione diffidam.

Cur non modo videatur eſſe non repre- 4
hendenda] *Quod ſequitur,* ſed etiam cur in
vſu quodammodo ſequenda, *me negationem*
addere fecit, quæ libros antehac defecit omnes.

Vnum dant non oportere dici, quod ſit 5
in conſuetudine] *Sic eſt in codice, cuius Auguſti-*
nus poſſeſſor eſt: in alio, quod non ſit in con-
ſuetudine. *Sed ille proculdubio uerior: cum enim di-*
xerit Varro, eſſe genus declinationum in conſuetudi-
nem perperam receptum, illud concedunt ob id non
oportere dici, inquit, quod ſit in conſuetudiue,
putà, ſi ea à minus idoneis inducta ſit autoribus. Con-
ſuetudinem autem ſermonis uocauerunt, conſenſum eru-
ditorum, ſicuti uiuendi, conſenſum bonorum: qua de re
belliſſimè M. Fabius Inſtitutionum libro primo, capite
duodecimo.

Qui amiſſa non modo quærant, ſed 6
etiam quod indicium dent.] *Dicit M. Varro*
populum, & ſingulos, quod ſine offenſione populi facere
poſſint, in loquendo non ſi quid uitioſè multis inſede-

rit, pro regula ſermonis id accipere debere, ſed quæ deprauata erunt, euitare: ſingulos, inquam, qui non modo amiſſa uerba quærant, ſi quæ ab uſu receſſerunt, inuenire poßint, ſed etiam quærant ex ijs penitus obliterata, ut ſi melius non poßint, eorum ad ſummum indicia è priſcis ueſtigijs oſtendant. Hunc *ſenſum autoris uerba continent, ſi negatiua particula quam addidi à peritioribus retinetur. Sanè ut ſe olim habebat ſcriptura, mendoſum fecit hunc locum etiam uiris doctißimis uideri.*

7 Non' horum inter ſe non omnia ſimilia membra] *In quodam manuſcripto fuit,* num horum, *ſed perperam. Omnia nanque hùc à Varrone collata, ad analogiæ faciendam fidem aſſeruntur. Debet igitur ubique, & in ſuperioribus, & in ſequentibus, illo excepto loco,* Num aliter ſola bruma venit, *legi in hac quæſtione* non, *& pro nónne, affirmatiue intelligi. Quoties enim per negationem interrogamus, ſubintelligitur affirmatio: at quoties per* num *interrogamus, ſubintelligitur utique negatio, quod & Laurentius Valla obſeruauit* Elegantiarum *libro ſecundo.*

8 Ad diſcernendum vocis verbi figuras] *Vult M. Varro analogiam rerum dißimilitudines aſſumere, quibus uox nominis in terminatione dignoſcatur.* Huic *ſenſui, qui rectus huius loci uidetur, ſcripturam accõmodaui: cùm antea legeretur,* vocis verbis: *& quamuis alij* verbis vocis *ſcribendum exiſtimauerint.*

9 Dico, nos diſsimilitudines quoque ſequi] *Variant hìc codices, uno ſic ut ſcripſi, altero aliter*

haben

habente. Quare fuit hoc in loco negatio, quam ut à ſuperioribus diſſentientem ſuſtuli. Facile uerò factu fuit, cùm noz *per* Z *ſcriberetur, ut ex illo imperiti librarij* non, *quod hic erat, confecerint, quod alibi quoque in notis ſuperioribus indicaui, meq; doctiſsimi, & accuratiſsimi uiri docuerunt.*

Sed initio vocabulum] *Poſt illud* eſſe ana- 10
logias *! & ante hoc nonnihil deeſſe ſuſpicor, & mecum ſentit Auguſtinus.*

Apud Plautum: Video te nihili pen- 11
dere præ Philolachete] *Sic ex Moſtellaria Plauti, act. 1. ſcena tertia, emendaui quod legebatur,* video enim te, *& poſteà,* præ philolache omnes.

Omnes tres ad auditum ſunt compara- 12
tæ] *Recepta lectio habuerat,* omnes res: *quidam tentat legere, quod non improbem,* omnes hæ res. *Ceterum in eo quod hîc proximè ſequitur,* cubiculum ſurdum ad ſilentium, non ad auditum, *locus luxatus eſt mendis, & deformatus, ob paucula uerba, quæ neſcio quo fato exciderint.*

Idémque item contra] *Notare hunc quoque* 13
locum uolui, qui mendi ualde ſuſpectus eſt, ut in eo ceteri ſint cautiores. Sed quod deeſt, id paucis cõſtat uerbis. Doctiores uiderint ſi qua in re nihil potui, ipſi ſtudioſos quod iuuet, aliquid hûc afferre poſsint.

Rogant, cur non dicamus mane manius 14
maniſsime] *Negatiuam hîc addidi, quæ deſiderabatur. Neque enim inſectatores analogiæ quæſiſſent,* cur dicamus mane manius maniſsimè: *illa etenim*

ut ſuprà poſuit M. *Varro, minimè dicimus. Quod ſequebatur de ueſpertino tempore*, vere magis, *emendaui*, veſpere: *ita enim filum orationis poſtulare uidetur. In quo ſedulitatem noſtram ſpero ingenioſis probatum iri.*

15 Multitudinis fit millia denarium] *Vt hoc in chirographis eſt, item in alijs legitur*, millia denaria. *Sed quam in partem inclinaui, in eam me propendere fecit autor, qui infrà dicit*, hæc duo millia denarium, non duo millia denarij.

16 Dixi de lana] *In quibuſdam etiã ueteribus libris, perperam eſt*, de lucerna. *Ipſe nanq; Varro ſuprà eodem ſcripſit*, *Lana Gallicana & Appula uidetur imperito ſimilis, propter ſpeciem.*

17 Natione ex procreante diſsimileis] *Quod erat* in nationes ex procreante, *mendoſum locum hunc eruditis perſuaſit. Ego id emendaui, qui puto ex equi admiſſarij natione procreatũ equum ab alio nunc quoque differre. Hiſpano etenim equo, aut Barbaro genitus, ut ſimilis ſolet eſſe genitori, ita uulgaribus equis diſsimilis. Planè apud ueteres qua ſtirpe admiſſarij eſſent, magni intererat: & equi nobiles à regionibus dicebantur. In Græcia Theſſalici, à terra Appuli, à Roſea Roſeani, inquit* M. *Varro rei ruſticæ* II.

18 Pungo pungam pupugi, tundo tundam tutudi] *Hæc uerba indicant ex parte uerum, quod A. Gellius libri ſecundi capite uiceſimoquinto ſcribit*, M. *Varronem libro ad Ciceronem de lingua Latina octauo docuiſſe: Sed apud illũ alia multa nomina, uerba, & præuerbia ex eodem, ut ipſe ait, libro referũtur, quæ hinc ex-*

cidiſſe

cidiſſe neceſſum eſt dicere. Illius ego ſcriptũ tranſcripſi, ut ſtudioſus cum hac nota pariter A. Gellij teſtimonium habeat. Sic igitur poſuit: M. Varronis liber ad Ciceronem de lingua Latina octauus, nullam eſſe obſeruationē ſimilium docet, itaque in omnibus penè uerbis conſuetudinem dominari oſtendit: ſicuti cum dicimus, inquit, lupus lupi, probus probi, & lepus leporis: item paro paraui, lauo laui, pungo pupugi, tundo tutudi, & pingo pinxi. Cúmque, inquit, à cœno, & prandeo, & poto, & cœnatus ſum, & pranſus ſum, & potus ſum dicamus, aſtringor contrà, & extergor, & lauor, aſtrinxi, & exterſi, & laui dicimus. Item cùm dicamus ab Oſco, Tuſco, Græco, Oſcè, Tuſcè, Græcè, à Gallo tamen & à Mauro, Gallicè & Mauricè dicimus. Item à probus probè, à doctus doctè, ſed à rarus non dicitur rarè: ſed alij rarò dicũt, alij rarenter. Idem M. Varro in eodem libro: Sentior, inquit, nemo dicit, et id per ſe nihil eſt: aſſentior tamen ferè omnes dicunt. Siſenna vnus aſſentio, in ſenatu dicebat, & eum poſtea multi ſecuti: neque tamen vincere conſuetudinem potuerũt. Quæ ſequuntur apud A. Gellium, Varronis minime ſunt: hæc ſecus: indicioq; eſt illud, quod L. Siſennam recitat, quē libro priori autorem habuit, ubi de patreſimilias, & cuius nomine librum Siſennam, uel de Hiſtoria inſcripſit.

Apud Plautum cùm dicit: Piſceis &c.] In 19
Truculento, act. II. ſcena prima:

Piſcels ego credo,qui uſq; dum uiuūt lauant,minus diu Lauare,quàm hæc lauat Phroneſium.

Quæ uerba ſe paulò aliter hic habent, quàm apud illum Neque uerbum adlauant *poſuit Plautus, neq;* lauari *paßiuè. Ita uerò ſcriptum cùm legit Varro, poſuiſſe hoc loco mihi uidetur,*Analogia adlauare reddidit. *Doctiorum eſto iudicium.*

10 Non eſſe ſimilia intelligūtur] *Suſtuli ueterem ſcripturā,* noſſe, *quæ nō potuit quæſtioni,ut mihi uiſum eſt,accommodari: id quàm rectè fecerim,alij erunt iudices.Poſt hæc paulò,inter illa,*ſequitur formam, *&* vtrum in ſecunda, *nonnihil deeſt,& id paululum quiddam: ſed in quo reſtituendo,cùm meum deficiat, maximè uelim aliorum ingenia exerceri.*

AD LIBRVM IX.

1 Minus erraretur in declinationibus] *Dixi quàm frequens in autoribus peccatum hoc eſſet, quod incuria librariorum obrepſit, actiuum paßiui loco ſcribere:hic certè legebatur* erraret,*in quo manifeſtarium errorem emendare percupiui.Nec enim ſi quis inſtiterit, perſonale uerbum ad ullum poterit referre.*

2 De qua ſuprà dixi. Analogia] *Inter hæc duo poſteriora uerba, deſunt non pauca: hocq; arguunt ſequentia, quæ ſuperioribus proximè dictis non cohærent.*

3 Vt ex non & volo, nolo &c.] *Paulò aliter ex libris de lingua Latina hæc uerba refert A. Gellius,*

lius, libri v i i. *capite* 2. *&* *ſic habet:* vt ex non & volo, nolo fit, ſic ex ne & quicquã, media extrita ſyllaba, compoſitum eſt nequam. *Varroniani libri plus* A. *Gellianis habẽt,* item: A. Gellij *codices,* fit, *&* compoſitum: *cùm prius Varroni deficiat, & poſterius ſit in aliud uerbum commutatum. De utro rectius quid ſit, quiſque ſibi uiderit: ego nihil ſtatuo.*

HÆ ferè ſunt ad M. Terentij Varronis de Latino ſermone ſuperſtites libros ſcriptæ notæ, quæ ſi non magnam Varroni lucem, aut ſtudioſis utilitatem afferunt, at certè declarant, noſtram, quod magis petimus, adiuuandis eorum ſtudijs propenſam uoluntatem.

Et ſi uerò nihil dubito penè infinita eſſe, quæ huic tractationi inſeri potuerint, ea tamen quæ maximè uiſa ſunt neceſſaria, memoria tradere ſatis habui. Qua quidem in re quod facere potui, pro uirili parte præſtiti, ne quis meam diligentiam deſideret, ubi quæ officerent luminibus autoris noſtri, tollere deſpondi. Secum potius quiſque reputet, ueteres, qui ſunt habiti mortalium ſapientiſſimi, multa ſciſſe dictos, non omnia: mihi prudentiam cunctarum rerum ab uſu, nedum diuinationem à natura tributam minime fuiſſe. Ceterum ſingula & minutiſſima quæque perſequi, curæ minutioris duxi, & eorum, qui nulla ratione duce, ſibi ipſi autores facti, in ueteribus libris nutant, uel ab ingenioſis uiris reperta mutant: ſicq; dum librariorum inſcitiam accuſant, ſuam ipſi profitentur. Ego ſanè ſemper eiuſmodi ſtudium abhorrui, ut ſit aliquando quod placeat, aut certè quod non improbetur, & ipſa emendatio finem habeat.

Marcus Vertranius Maurus ſcripſi, tibíque B. Cauleti dicaui, quo neque mihi gratiorem, neque meo iudicio qui Philologiam ſtudioſius amplectatur, religioſiúsve colat, noſtra quenquam Prouincia tulit. Quæ lecturis, ſi modò fuerint qui dignentur iſta cognoſcere, index amoris in te mei clauſula, & peracti operis eſto.

1·007·034





SCRIPTORVM ET LIBRORVM NOMINA QVAE A VARRONE REFERVNTVR.

Vbi prior numerus paginam, poſterior verò lineam denotat.

L. Actius. 3,2. 11,9. 29,17. 68,9. 76,20. 77,24. 83,10. 85,3. 9. 87,7. 26. 88,7. 27. 89,31. 155.8
In Bruto. 25,14
In Philoctete. 75,27
In carmine Priami. 79,4
In tragœdiis. 155.6
M. Actius Plautus. 27,14. 81,7. 87,11. 8,9. 91,5.
Plauti aut librarij, mendum. 136,17
In Amphitruone. 50,30, 83.8
In Aſinaria. 51,11. 87.3
In Aſtraba. 66,20. 85.11
In Aulularia. 9,27. 49,14. 91,1
In Caſina. 91,13. 26
In Ceſtione. 85,16
In Ciſtellaria. 90,14,17,20. 23,13
In Condalio. 86,30
In Colace. 91,16
Cornicularia. 42,8. 83,20
Fugitiui. 84,29
In Curculione. 84,19. 86,2. 40,27
In Epidico. 37.12
In Friuolaria. 84,16
In Menæchmis. 83,39. 84,7. 88,13. 76,12
In Mercatore. 84,21
In Milite glorioſo. 88,10. 31,30.
In Monſtellaria. 123,16
In Nauclaria. 84,31. 85,18
In Paraſito pigro. 84,23. 86,28
In Perſa. 84,5
In Phagone. 84,26
In Pœnulo. 85,20. 22,20
In Pſeudolo. 87,11.
In Sitelitergo. 85,12
In Sticho. 22,20
In Trinummo. 84,11. 87,1
In Truculẽto. 85,22. 136,13. 52,10
Aelius. 10,19. 30,10. 51,7.
L. Aelius Gallus. 10,17. 3,5. 14. 22,3. 63,5
C. Aelius Stilo. 41,7. 20. 81,13
Interpres carminis Saliorũ. 73,20
M. Afranius. 14,10
C. Annius. 68,14
Antipater. 49,9
Appolodorus. 31,9. 49,11
Appriſsius in Bacche. 65,15

Aquilius in Bœotia. 70,15
Ariſtarchus.108,11.15.121,5. 133, 6.142.31.148,26
Pro analogia. 112,5.10
Ariſtas. 156,14
Ariſtocles. 156,15
Ariſtodemus. 156,14
Ariſtophanes. 49,10. 114, 25. 154,23
Ariſtoteles. 96,5.141,23
In libro Nomina Barbarica inſcripto. 85,26
Aruſinus. 156,14
M. Atilius. 89,1
P. Aurelius Opilius. 83,14.85, 17.85,6.87,5.91,29
Cæcilius. 90,4.91,6.91,31
Callimachus. 33,10.80,22
L. Calpurnius Piſo. 41,14
In Annalibus. 41,14.45,6
Caſsius. 86.4
In Bruto. 51,6
Chryſippus.49,9.52,10.62,13. 152,29
περὶ τῆς ἀνωμαλίας. 112,4.7
Claudius vel Carbilius 85,13. 85,28.91,29.
Cleanthis lucerna. 8,18
Coſconius. 58,9
In actionibus. 70,17
Crates. 107,12.108,12.112,2
Democritus. 58,31
Dionyſius Sidonius. 141,20
Q. Ennius.9,29.10,27.11,18. 16,1.19,19.20,10.20,19.21,18. 20.26.26,24.32,30.42,15.44, 25.51,4.63,19.68,13.68,23.76, 30.77,25.78,2.12,9,8.80,3. 14,80.22.81.11.25.31.82,5.24. 83,1.5.85,31.87,16.88,16.28. 89,15.90,23.25.91,4.9.136,27. 155,5.
In Alexandro. 69,5
In Aſoto. 21,6
In Epicharmo. 20,14. 22, 17
In Medea. 75,17
In Saturnio carmine. 82,7
Euripides. 87,19
Fuluius Flaccus, flamen Martialis. 54,30.57,17
Heſiodus. 10,30
Homerus. 86,14.88,10
Q. Hortenſius in pœmatis. 96,25.157,1
Hypſicrates. 27,3
Iunius.16,4.17,17.19,20.57,21
M. Iunius Brutus.in commentariis. 7,18.72,2
Iunius Gracchus. 57,17
Iuuentius Comicus. 85,6
L. Liuius Andronicus. 73,24, 88,10
Lucilius.13,27.16,19.21,12.25,15. 65,21.79,19.80,4.82,29.90, 4.91,7.130,21
Lucretius. 89,22
Libri xxj.Lucretij. 10,15
Q. Lutatius Catulus.41,21.50, 27.
Mallius vel Manilius vel Mālius vel Manilius.15,18.77,5. 79,9 91,16
Matius vel Marcius vates. 89, 27.29
Mutius Scæuola.7,18.90,8.91, 18
Q. Mutius Scæuola Pontif. Max. 25,31.57,1
CN. Næuius.16,7.19,6.42,11. 44.

44,26.65,29.76,2. 78, 12. 83, 16.83,27.89,10.16
In Aemathia. 84,1
In Agidone. 92,7
Bello Punico. 92,14
In Claſtidio. 92,3.129,31
In Conſponſis. 65,30
In Corollaria. 84,22
In Coſmotria. 84.1
In Demetrio. 92,5
In Duloreſte. 92,4
In Eſiona. 92.2
In Freto. 85,27
In Hemiſperio. 75,2
In Lampadione. 92,6
In Romulo. 84,4.92,8
In Stigmatia. 92,9
In Therimo. 92,11
Tunicularia. 92,12
Neſtocles Parmeniſius. 141,23
M. Pacuuius. 8, 8.10, 12.13,27. 20,19.51,3.77,20.78, 5. 9.86, 27.88,15.20.89,3.90,29
In Hermiona. 71,25
In Mercatore. 84,16
In Tarentilla. 92,12
Pomponij epigrammation. 79,11
Plato libro quarto. 81,1
Polybius. 33,10
Popilius. 89,17
M. Porcius Cato. 44, 24.5.3. 84.19.136,27.91,9
Procilius. 41,6.7.42,17
Pythagoras Samius. 9, 2. 77, 12
Siſenna. 109,8
Sophron. 47,30
Ser.Sulpicius Rufus. 13,21
T. Tatij votum. 23,26
P. Terentius Afer. 60, 31. 65, 24,87,30.174,4
M. Terentius Varro in libro de æſtuariis. 117,14
In libris Antiquitatum. 52, 22.54,7
In libris Tribuum. 19,25
Valerius. 85,8.155,8
Q. Valerius Soranus. 97,21
Verginj vel Vergilij Commẽtarius. 81,14
Volumnius Tuſcus tragicus. 19,21
Zenon Citieus. 20,11

INCERTORVM.

Actiones. 89,19
Annales. 23,27.30,8
Attellanæ. 79, 18.88,5.89,29
Augurum libri. 11,2.20, 6. 83, 18
Cenſoriæ tabulæ. 69,22
Commentaria Conſularia. 70, 4
Commentarium vetus Anquiſitionis. 70,23.71,4
Lex duodecim tabularum. 11, 14.39.8.50,18.83,17
Lex Plætoria. 50,19
Sacrorum libri Athenis. 29,13
Saliorum carmen. 32,21. 53,2. 74.1.78,28.79,2
Sibyllini libri. 53,11
Andromacha. 10,25.74,28
Ennij. 87,21
Bœotia. 70,15
Colax. 91,16
Medus. 80,14
Ennij vel pacuuij. 80,15
Peribœa.Pacuuij. 74,27
Proſerpinæ chorus. 71,24

DEORVM ATQVE HOMINVM NOMINA.

ACca Laurentia. 55,14
Accæ ſepulchrum. 55,18
Achilles. 155,1
L. Aelius 111,2
Sex. Aelius Catus. 82,26
Aeneas. 40,9.12,63,16
Aeſopus. 91,16
Agamemnon. 10,26
Aimilij ab Aimilio orti. 94,10
Albius. 110,27
Alcæo, Alcæoni, Alcæonem. 132,29.133,4
Alcæus. 132,29
Alexandri ſtatua. 130,5
Alexander Paris. 87,17
Alphena mulier. 102,14
Ambiuius. 79,19
Angerona dea. 55,11
Appelles pictor. 114,23
ἀφροδίτη. 57,18
Appollo. 77,7. Sol. 22,13. Latonius. 97,20. ei⁹ cortina. 83,4
Aquilius. 128,8
Aquiliani gladiatores. 128,6
Hic Argus. 132,22
Arimas pictor. 114,25
Ariſtarcus. 49,16
Artemas ſeruus. 98,4
Aſtarte dea. 19,31
Atinia familia. 109,6
Atrius. 110,28
Attallus rex Pergami. 53,11
Auentinus rex Albanus. 16,8
Auerruncus deus. 90,31
Baccus Liber. 88,18
Eius templa. 74,26. comites Bacchæ. 88,19
Bacchides Bacchideis Baccidas. 155,13
Bellona. 23,15.83.8
Bœbiei Bœbię, Bœbieis. 150,30
Cæcilius. 128,8
Cæciliani gladiatores. 128,6
Cæcina. 145,11
C. Calpurnius Cos. 70,8
Calpurnius accenſus. 70,6
Carinas. 111,16
Carmens. 52,17
Caſcelius. 128,7
Caſceliani gladiatores. 128,6
Caſtor. 20,5.23.20
Ceres. 21,19.53.17
Chryſides, Chryſideis, Chryſidas. 155,13
Cereris templum. 75,16
Cœliei, Cœliæ, Cœlieis. 150,30
Cœles vel Cœlius Vibennus Tuſcus. 16,26
Cœliani. 17,2
Commotiæ nymphæ. 23,8
Concordia. 23,22
Eius ædes. 41,11.43,1
A Concordiæ. 41,12
Dij Conſentes, non dei. 810,23
Deum Conſentum ædes, non deorum. 108,25

Conſus

Conſus deus. 54,19
Cornelius. 50,13
P. Cornelius Scipio. 79,22
Crepuſci. 50,23
Cretea. 65,23
Cupedius. 40,28
Curtius Conſul. 41,22
Cuſiatij. 38,29
Decimus prænomen. 125,12
Dehebris rex Veientum,& Tiberis. 13,8
Demetrius rex. 83,21
Dei Fidij ædes.18,26.eius templum. 16,10
Diana Apollinis.22,14. Titanis Triuia. 76,31
Diuiana. 22,16
Dieſpiter.21,29. ſine obliquis. 129,6.Dies pitris minus tritum. 129,20
Diouis. 21,29.23,27.26,10
Diomedes Diomedibus. 150,25
Dion. 96,3
Διωνχ. 49,16
Diona. 102,9.121,2
Dionem. 49,16
Diores pictor. 114,19
Διόσκορος. 22,4
Dius Fidius. 21,31.22,3
Duellona,Bellona. 23,15.83,8
Egeria Egeriai. 81,31
Epeus. 81,8
Epimenides poſt annos quinquaginta experrectus. 73,22
Eſculapij ædes. 84,15
Euander Arcas. 11,10
Europa Tarentina. 15,19
Palacer. 82,24
Idem Diuus Pater. 26,12
Fauni Latinorum dei. 80,26
Faunus & Fauna. 80,27
Fauſtius. 128,8
Fauſtiani. 128,9
Fauſtinij gladiatores. 128,5.9
Feronia. 23.23
Fides dea. 23,25
Flora. 23,27.82,23
Fortuna. 27,30
Fors Fortuna.23,25. eius dies. 53,31.Fanum.30
Furina. 26,10.54,12.82,23
M. Genutius Cos. 41,23
Geryon Geryones Geryonas. 132,30
Harpocrates. 19,30
Hector Hectorē.76,26.Hectorem,vt prætorē nō dici.109,1.155,4.Hectores Hectoras. 154,31.Hectoris natus.155,5. Hectora media breui. 155,9
Hecuba. 94,6
Heraclides Heraclide cum e longo in vocandi caſu.108,13.14
Hercules.130,1.Argiuus.16,22. Sanctus.22,4.ἀλεξίκακος.87,25. defenſor hominum. 87,27.eiuſdem ara.61,29.Sacrificiū.26.decuma.61,26.in iuuēcam immolat prætor.61,2. eidem fanatur. 61,26
Herculis & Herculi claud.99,9
Hercules Herculibus. 158,26
Honos deus. 23,18
Honoris pila. 18,24
Tullus hoſtilius rex. 42,27
Ianus Geminus.43,4.Princeps. 57,23.eius ſignum. 45,5

Iapetus. 15,16
Ilus. 110,27
Iuno Caprotina.54, 8. Lucina. 22,22.25.eius Lucinæ lucus. 17,25. Aedes. 18,11
Lucinam parientes inuocant. 22,25
Iuno nouella. 56, 10. Regina. 22,10.eadem eſt terra. 22.8. eius ſacellum. 42, 4. ædes Lanuuij. 44,18.
Iuppiter quid ſit. 21,20.21
Iouis altitonantis. 75,1
Iouis capitolini ædes. 15,19.43, 21. Elicij ara in Auentino. 73,26. Fagutalis ſacellum. 42,5
Iuppiter Vimineus 18,15
Iouis Vinalia. 53,17
Iouis ſacellum. 43,20
Iuppiter caret obliquis. 104,3
Iouis Iouem caret recto.104.4
Iuppiter non Iouis.101, 6. 109, 14
Iouis Iouis. 101,7.103,19
Iuppiter Iouis Ioui.101,6.154,4
Iouum & Iouerum nō dicitur. 109,10
Iouis Filium & Filiam, nō Iouem & Iouam dici. 124,6
Ioui agna facere. 53.21
Iuturna. 23,5
Iuturnæ aqua ægrotum. 23,5
Κοίνῖι 49,15
M. Porcius Læca. 120,27
Popillius Lænas. 111,16
Lares vel Laſes. 23,29.50,2
Lara dea. 23,24
Larunda. 23,28
Latona Titani filia.77,5. Apollinis & Dianæ mater. 77,7
Lauernæ ara. 44,30
Lauinia Latini filia. 40,9
Lænas. 111,16
Liber pater Thriambus cognomento.65.19. eius ſacerdotes. 52,31.fanum. 9.29
Lucia Volumnia in Saliorum carminibus.125,19
Lucij. 50,24.125,16
Lucianus. 49,14
Lucretia. 51,6
Lucumonis tribus. 19,20
Lunæ templum. 22,12
Luna triuia. 76,31
" Noctiluca. 22,12.68,2
Lunæ ſupercilia. 22,28
Lyſippus artificum priorum vitioſa non eſt ſecutus, ſed artem.115,31
Macellus. 41,3
Mæcenas. 111,17
Magnæ matris templum.53,12
Dij Magni. 20,4
Mamers. 23,17
Mamurius Veturius. 60,23
Manes dij ſeruiles. 55,18
Mania mater Larum. 125,19
Manius. 125,15
Manius Poſtulio. 41,9
Manlius Manliorum. 108,27
T. Manlius Cos. 45,8
Marcus,non Marca. 123,31
Mars Martis. 23,15,152,3
Marſpiter caret obliquis. 104, 3.129,8
Marſpiter. 100,28
Marſpitris minus tritum. 129, 20
Medea. 63,16.68,20

Melicertes Melicerte cum e, breui vocandi caſu. 108,13. 15.133,6.8
Sp. Melij domus. 43,7
Menahemi gemini. 102,22. 147,31
Menalippe. 85,9
Metellus Metella non Metellum. 123,30
Metius Curtius Sabinus. 41,16
Meto Metonis. 132,28
Minerua. 23,23. eius ædes. 53, 29. Sacellum. 43,21
Q. Mucius. 111,3
Mycon pictor. 114,19
Myrmecidis opera ex ebore minuta. 73,11.137,3
Neptunus. 23,10.54,11
Neptuni Salacia. 23,13
Neſtorem ſecunda longa non dici. 109,1.155,4
Neſtores Neſtoras. 154,31
Nouenſiles. 23,23
Numerius non Numeria. 123, 31
Opecōſiua dea. 54,24. dies, ibi. eius ſacrarium. 54,25
Ops. 20,1.23,27.55,11.
Ops terra & mater. 21,15
Orcus. 22,7
Orci templa. 74 29
Orion Oriona. 83.10
Palatia Latini vxor. 19,4
Palatua. 82,13
Pale. 53,15
Pan. 31,11
Pantheris. 29.27
Parcæ. 61,12
Paris. 87,17
Peleus. 155,1
Dij Penates non dei. 108,22
Penates. 40,9
Deum Penatium ædes. 19,11
M. Perperna non Perpetnus. 102, 14. 110, 30. 111, 1. 120, 27.145,11
Phæton. 23,4
Philipi ſtatua. 130,6
Philolaches. 123,17
Philomedes Philomede cum e. breui in vocandi caſu. 108, 12.14.133,7.8
Philoptois. 79,13
Plautus Plauti, Plautius Plauti. 101,19
C. Pœtelius Viſolus Dictator. 91,24
Pol. 90,20
Pollux. 20,5.23,20
Polluces. 23,22.
Πολυδεύκης. 23,22
Pomona pomorum patrona. 82,24
Numa Pompilius. 43, 13.45, 7. 89,17. Flamines fecit. 82, 17
A Varrone ad Pompilium ſeptingenti anni. 74,2
C. Popillius. 91,23
Portumni ædes. 54,15
Poſtuma prænomen. 125,28
Poſtumus. 125,16
Diui Potes. 20,6
Priamus. 34,6
Priamides. 97,20
